



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Distinctio decimaquinta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

nem sumptam ex exemplo ipsius Christi, quia ea quae facit Christus corporaliter sunt exempla eorum quae facit spiritaliter, sed Christus nunquam sanauit bis eundem infirmum corporaliter, ergo nunquam sanauit spiritaliter bis eundem peccatorem. Et istae rationes tanguntur de penitentia dist. 3. item quod frequenter. Sed istud est erroneum, quia illud quod non confirmat liberum arbitrium in bono non facit quin homo possit cadere in peccatum, sed nec penitentia, nec quicumque virtus pro statu viae confirmat liberum arbitrium in bono: hoc enim est principale privilegium: status penitentiae, ergo &c. Itē patet per exemplum sanctorum, quia Dauid postquam egerit veram penitentiam de adulterio Bersabee, & de homicidio Uriae postea cecidit per culpam in numeratione populi. Quare omnino tenendum est, quod vera penitentia potest quis per culpam cadere.

6 Vtrum autem pluries possit iterari vera penitentia, dicendum est quod sic, quia sicut secundum legem communem homo non confirmatur in bono pro statu viae, sic non obstinat in malo pro quodcumque peccato quotienscumque iteratum quin possit de eo verē penitere, sed quotiens homo penitet, totiens Deus verē indulget. Cū maior sit Dei misericordia ad remittendum peccatum de quo aliquis verē penitet quā sit hominis malitia quando peccatum committit. Et confirmatur, quia non plus misericordia exigit a nobis Deus quā impendat nobis, cū imponat nobis modum misericordiae ad proximum iuxta formam misericordiae quā habet ad nos, secundum illud Luc. 6. Estote misericordes sicut & pater vester misericors est, sed Deus imponit nobis modum misericordiae ad proximum, ut ei penitenti remittamus offensam non solum septies, sed septuagesies septies: ut habetur Mat. 18. ubi ponitur numerus determinatus pro indeterminato, ergo modus diuinae misericordiae ad nos est ut pluries dimittat nobis peccata: quod non esset nisi possemus pluries verē penitere, & pluries ad veram penitentiam cadere, quando enim durat vita praesens Deus virtutem ad nos misericordia, post mortem autem vteretur iustitia. Et ideo in vita praesenti semper est tempus penitendi ex parte hominis, & tempus miserendi ex parte Dei. Et contrarium sentire est erroneum.

7 Nec valent rationes contrariae opinionis, quia non est facilitas veniae quando pro culpa exigitur poena, quod facit Deus remittendo culpam: quia pro qualibet culpa quantumcumque iterata exigit poenam correspondentem. Quod autem dicitur quod Deus nunquam eundem infirmum pluries sanauit corporaliter, Respondendum est sicut de penitentia dicitur dist. 3. Item quod frequenter, quod per hoc quod Dominus sanauit plures non solum a diuersis infirmitatibus, sed etiam a similibus (plures enim caecos illuminauit, etiam leprosum mundauit) figuratum fuit quod homo per penitentiam sanandus erat a peccatis quae diuersis temporibus committeret: non constat etiam quod Dominus eundem infirmum sanauit pluries, quod & si non legatur, non obstat: quia scriptum est Ioan. penult. multa quidem & alia signa fecit Iesus quae non sunt scripta in libro hoc.

8 Ad principales rationes. Ad primam dicendum est quod fortius non vincitur a debilitati per violentiam, vincitur tamen quandoque per negligentiam suam, & sic verē penitens vincitur tentatione & cadit in culpam non per violentiam sibi illatam, sed per incautiam & negligentiam suam.

9 Ad secundam dicendum quod auctoritas beati Ambr. est sic intelligenda, quod penitentia est praerita peccata deplangere, & plangenda non committere: hoc est non habere propositum committendi.

10 Quod autem dicit Aug. quod inanis est penitentia &c. Intelligendum est quantum ad finem vltimum qui est consecutio vitae aeternae, & vitatio gehennae: quia per sequens peccatum mortificantur penitentia & bona praecedentia, ita ut non sint sufficientia ad vitam aeternae consecutionem, quando tamen fuit talis penitentia, valuit ad remissionem peccatorum.

Sententia huius distinctionis. XV.  
in generali & speciali.

ET sicut praedictis auctoritatibus. Superius determinauit Magister de penitentia quantum ad sui quidditatem diffiniens veram rationem penitentiae, & excludens

circa hoc quorundam errorem addentium ad penitentiae rationem futuram perseverantiam. Hic determinat de ipsa quantum ad sui integritatem, remouens circa hoc errorem aliquorum falsae opinionum posse de vno peccato siue de aliis penitentiam agi: quod est contra penitentiae integritatem. Et diuiditur in partes duas. Quia primo tangit errorem & eius confirmationes, & illas soluit. Secundo improbat illum errorem ibi, satis arbitror. Prima est praesentis lectionis. Et diuiditur in duas. Quia primo pertractat praedictam opinionem, erroneam dicentem de vno peccato posse fieri penitentiam fructuosam sine aliis quantum ad idem tempus. Secundo incidenter tangit aliorum errorem dicentium de vno peccato sine aliis penitentiam factam valere non quidem quantum ad idem tempus sed quantum ad diuersa, videlicet quod quando de aliis peccatis penitentia agitur, tunc valebit prima penitentia. Secunda ibi, Quibusdam tamen videtur. Prima diuiditur in duas. Quia primo excludit probationes eorum quae procedunt ex auctoritatibus sacrae scripturae. In secunda excludit probationes sumptas ex auctoritatibus Sanctorum & quibus rationibus ibi, Alias quoque auctoritates. Prima in tres. Quia primo proponit obiectionem. Secundo soluit eam ibi, Sed de his. Tertio excludit quandam dubitationem ex praecedente solutione ortam ibi, Attende his verbis. Pars illa quae incipit ibi, Alias quoque auctoritates, diuiditur in duas: quia primo ponit probationes eorum ex auctoritate Greg. & Ambr. & ex quadam ratione adiuncta. Et secundo soluit eas ibi, His responderi potest. Et illa postea diuidit secundum numerum obiectionum & responsionum. Tunc sequitur illa pars quae incipit ibi, Quibusdam tamen videtur. Circa quam tantum duo faciunt, quia primo ponit illam opinionem cum suis rationibus. Secundo soluit ibi, Sed haec dicta intelligimus. Haec est diffusio & sententia in generali.

2 IN Speciali sic procedit. Primo proponit quod erroneum est dicere quod de vno solo peccato sine aliis possit penitentia agi, quod quidam dixerunt confirmantes errorem per auctoritatem Prophetae Naum, qui dicit cap. 1. Non iudicabit Deus bis in idipsum, ex qua auctoritate arguunt sic. Si quis vnum peccatum sacerdoti confiteatur tacitis aliis & penitentiam sibi iniunctam perseueret pro illo, non debet amplius satisfacere, nec penitentiam agere, alioquin Deus bis in idipsum iudicaret, dum sacerdos qui vicem dñi in ecclesia gerit bis pro eodem peccato penitentiam imponeret: igitur de vno peccato solo sine aliis potest penitentia agi. Postea dicit quod haec auctoritas non cogit, intelligitur enim de illis solum qui per flagella corriguntur, & conuertuntur, & perseuerant: tales enim iterum non iudicantur, secus est de illis qui per flagella non corriguntur, sicut Pharaon talibus enim videtur iudicium incipi in praesenti & terminabitur in futuro secundum Aug. Unde incidenter subiungit Magister quandam vtilem distinctionem dicens, quod flagella insurgunt vel ad augmentum meritorum, sicut factum fuit in Iob: vel ad custodiam virtutum, sicut patet in Paulo cui datus est stimulus satanae: vel ad corrigendum peccata sicut Mariae sorori Moysi inflicta est lepra: vel ad gloriam Dei, ut patet in caeco nato: vel ad initium poenae futurae, ut in Herode qui scaturit vermibus, Act. 12. Postea exponit quaedam auctoritates super dicto verbo. Nam dicit Sodomitas igne, Aegyptios mari, Israelitas in eremo punitos ne in aeternum punirentur, quia Deus non punit bis in idipsum: nec est de omnibus generaliter intelligendum, sed de illis tantum qui inter flagella puniuntur & non corriguntur, cum hic & post aeternaliter puniantur. Quod confirmat auctoritate Hiero. qui dicit. Leuisa peccata breui & temporali punitione puniri, pro leuibus enim non puniuntur graui supplicio & in futuro etiam aeternaliter puniuntur, quia per flagella non egerunt penitentiam & subdit quod illud in bonis non est dubium, quia si bona leuisa breuiter remunerantur, bona verò maiora hic & in futuro remunerabuntur. In malis quoque sic intelligitur sicut dictum est. Ex quibus omnibus concludit quod dicta auctoritas nihil pro praedicta opinione facit. Postea inducit auctoritates sanctorum ad confirmationem dicti erroris, & primo ponit auctoritatem Greg. qui dicit, Vnam ciuitatem complui &

TT 3 aliam

aliā non: sicut dicitur in Amos, quando quis de vno peccato penitet & de alio non. Postea ponit auctoritatē Ambrosii qui dicit, q̄ si fides desit p̄na satisfaciit vt possit de alio peccato satisfacere. Postea ponit ad idem vna rationem ipsorū quæ talis est: aliquis qui de vno peccato penitet & satisfaciit aliis tacitis de quibus postea si confessus fu erit nō videtur rationabile quod pro peccato illo iterato satisfaciatur, nec videtur rationabile secundū consuetudinem ecclesiæ pro eodem peccato non iterato illi penitentiam bis imponi, ergo similiter illa satisfactio qua de vno peccato satisfaciit est sufficiens. Postea respondet ad ista, & primō ad auctoritatē Greg. quæ est intelligenda quantum ad operis desertionē, & non quantum ad veniā. potest enim aliquis vnus peccati opus deserere & non alterius. Non coniequitur tamen veniā: quod probat per dictū euangelicū, vt patet in litera. Ad auctoritatē autē Ambrosii respondet, q̄ fides accipitur ibi pro cōscientia sub hoc sensu, q̄ cūm aliquis habet peccatū de quo non habet cōscientiam quia nō recolat, & cūm flagellatur a Deo cogitat q̄ forte hoc sit pro aliquo peccato suo & patienter sustinet: tunc illa p̄na satisfaciit pro peccato ignorato vel ei reuelatur. Ad rationē aliorū respondet q̄ satisfactio de vno peccato sine alio nō valet: tunc cōtra hoc inducit auctoritatē euangelii Lucæ. ii. date elemosynam & munda sunt vobis omnia. vt sic videtur etiam q̄ impenitētes dando elemosynā satisfaciunt de peccatis. Ad hoc enim respondet Magister, cūm elemosyna sit opus misericordie, & scriptum sit, miserere animæ tuæ placens Deo, prius debet homo dare sibi elemosynā quam alteri, qui autem impenitens est nō miseretur animæ suæ, cūm scriptū sit: qui diligit iniquitatē odit animā suam, & ideo prius debet homo misereri animæ suæ penitendo & postea dare aliis elemosynas corporales. Postea ponit opiniones aliquorū dicentium, q̄ licet satisfactio non valeat de vno peccato sine alio, valebit tamen quando de alio peccato ageretur penitentia: quod probatur per duas auctoritates Augustini positas in litera, Magister autem respondet ad illas auctoritates dicens, quōd Augustinus non intellexit q̄ bona quæ fiunt ab aliquo quando est in peccato viuifcentur per frequentem penitentiam: & si intelligeretur de bonis factis in peccatis, exponendum esse quōd valerent ad diminutionem p̄næ inferni & non ad consecutionem p̄næ æterni. In fine epilogat de prædictis. Et in hoc terminat &c.

## QUESTIO PRIMA.

Vtrum homo possit satisfacere Deo de aliquo peccato mortali.

Tho. 3. q. 1. ar. 2. ad 2. q. 26. ar. 3.

**C**irca distinctionem istam queritur primo de satisfactione. & secundo de partibus eius quæ sunt elemosyna, ieiunium, & oratio. Circa primum queritur vtrum homo possit satisfacere Deo de aliquo mortali peccato. Et arguitur q̄ non: quia secundū Ansel. cur Deus homo. per illa fit satisfactio quæ nō possent ab homine exigi nisi peccasset, sed quicquid est vel esse potest in nobis posset Deus à nobis exigere, etiam si nō peccassemus ratione beneficii creationis, ergo per nihil quod sit in nobis posset Deus satisfacere.

2. Item grauius est peccatū actuale mortale q̄ originale, quia actuale mortale meretur p̄nam damni & sensus, originali verō debetur p̄na damni tantū: sed pro peccato originali nō potest purus homo satisfacere, ergo nec pro peccato actuale.

3. **IN CONTRARIUM** arguitur: quia Deus nihil præcipit impossibile, sed Deus præcipit penitentiam pro satisfactione, Luc. 3. Facite dignos fructus penitentis, quare &c.

4. **RESPONSIO.** Videndum est primo quid sit satisfactio, secundo an homo possit satisfacere Deo.

5. Quantum ad primum sciendum est, q̄ satisfactio est actus iustitiæ commissæ per offensam, ad æqualitatem iustitiæ per emendam, & differt à restitutione propriæ dictæ. Cum enim iustitia ordinet hominē ad alterum qui ordo potest esse vel quo ad res exteriores vel quo ad actus & passiones dupliciter potest se homo habere iniuste ad alterum, vel in rebus tantum iniuste eas subtrahendo

vel retinendo sine iniuria personæ: vt in vsura, vel in actibus iniuriando alteri tantum verbo vel factis, etiam si de rebus exterioribus nihil subtrahat. Prima inæqualitas reducitur ad æqualitatem iustitiæ per restitutionem, sed secunda reducitur ad æqualitatem iustitiæ per satisfactionem. Quandoq̄ tamē restitutio accipitur pro satisfactione, sed proprie loquendo restitutio est tantum de rebus exterioribus iniuste habitis, satisfactio autem est pro iniuriis iniuste illatis. Ex quo patet, q̄ licet ad restitutionem sufficiat reductio ad æqualitatem iustitiæ in rebus, ad satisfactionem tamen requiritur reductio ad æqualitatem iustitiæ & amicitie, quia iniuriōsa actio nō solum est contra iustitiam, imō etiam contra amicitiam: est igitur satisfactio recompenratio offensæ per emendam ad reconciliandam amicitiam. Et hæc de primo.

6. Quantum ad secundum an homo possit satisfacere Deo pro aliquo peccato, dicendum q̄ cūm satisfactio sit actio iustitiæ reducens id quod est inæquale ad æqualitatem, oportet in satisfactioe proprie dicta esse æqualitatem inter offensam & emendam. Æqualitas autem ista dupliciter potest accipi, scilicet vel secundum absolutam cōparationem rei ad rem, & ista est æqualitas proprie dicta: vel potest accipi solū secundum acceptationem illius cui fit emenda, & hæc est æqualitas interpretatiua solum. Dicendum ergo q̄ accipiendū satisfactioem proprie quæ requirit æqualitatem rei ad rem, sic impossibile est hominē Deo satisfacere pro aliquo peccato, accipiendū tamē largē satisfactioem prout requirit solum æqualitatem emendæ ad offensam secundum diuinā acceptationem, possibile est hominē deo satisfacere. Primum patet sic: hō minus efficitur homo debitor deo ratione peccati commissi q̄ ratione beneficii accepti, sed homo non potest reddere deo aliquid æquiualens secundum quantitatem rei pro beneficii accepti. in honoribus enim & ceteris quæ sunt ad deos & parentes, impossibile est reddere æquiualens etiam secundum Philof. ergo similiter homo non potest reddere Deo emendam æqualem secundum quantitatem offensæ peccati commissi. Secundum sic patet: quia amicitia nō exigit æquiualens secundum rem, sed illud quod est possibile, vt dicitur. s. Ethic. licet acceptatio est amicitia, ergo sufficit ad satisfactioem largē dictam reddere æquiualens secundum diuinam acceptationem. Et istud est homini possibile cūm acceptatio amicitie sit solum de possibili.

7. Quidam tamē dicunt, q̄ licet homo ex se non posset satisfacere reddendo æquiualens, potest tamē per hoc q̄ sibi cōmunicatur meritum passionis Christi, quod fuit aliquo modo infinitum. Sed videtur primum melius dictum, quia nec ipse Christus secundum q̄ homo potuit Deo reddere pro seipso æquiualens beneficii accepti. Cum ergo quicquid erat in Christo secundum naturam humanam esset totum obligatum Deo & ei debitum, nō potuit esse satisfactio de condigno pro quocunque peccato considerado naturam operis vel rei, sed solum secundum acceptationem dei gratuitam. Et sic patet secundum. Contra prædicta arguunt quidam dicentes, q̄ prædicta determinatio tollit omne meritū & omnem possibilitatē satisfaciendi: quod probatur, quia qui nihil habet quod possit soluere in nullo potest satisfacere: sed secundum prædicta quicquid homo habet est debitum Deo ratione beneficii iā accepti, ergo nullus potest aliquo modo satisfacere pro delicto commissi. Eodem etiā modo tollitur meritum, quia nullus meretur, quia non habet aliquid quod possit impendere pro premio: sed secundum prædictum nullus homo habet aliquid quod possit impendere pro premio, ergo nullus homo poterit aliquid mereri. Sed ista sunt satis frivola: quia bene concludunt, q̄ nullus potest Deo satisfacere de condigno secundum æqualitatem emendæ ad offensam, nec mereri de condigno strictè & proprie sumpto vitam æternam, & hoc est concedendum. Sed de congruo secundum gratuitam Dei acceptationem potest homo mereri apud deum, & satisfacere de peccato commissi. nec prædictæ rationes probant oppositum: acceptat enim Deus nostra bona opera, vt meritoria & satisfactoria, quanuis sint in nobis ab ipso, & quanuis non reddamus ei nisi quod suum est, sicut scri

scriptum est. 1. Paral. 29. cap. Tua sunt Domine omnia, & quae de manu tua accepimus, reddimus tibi. Et haec opinio magis consonat pietati fidei quanto minus attribuitur nobis & plus Deo: vt dicat quilibet bonus cum Psal. Saluum me fecit quonia voluit me. & illud ad Rom. Non est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis.

2. Ad primum argu. dicendum, qd secundum ordinationem diuinam satisfactio non fit per opera praceptoru quae Deus a nobis exigit etia si non peccauerimus, vnde sunt debita & no satisfactoria alicuius poenae: & sic loquitur Anselmus cum dicit. Per illa opera fit satisfactio, quae non possent ab homine exigi nisi peccasset: opera enim praceptorum exigit Deus ab homine, etia non peccante. Et sic non excluditur, quin per alia a praecipis possit homo Deo satisfacere quantum ad eius acceptationem. Verum quia Deus possit de potentia absoluta exigere omnia opera quae homo possit facere, ideo nullus homo potest satisfacere Deo de cogruo secundum aequalitatem emendae ad offensam.

3. Ad secundum dicendum, qd no est simile de peccato originali & actuali, vt comuniter dicitur: quia originale fuit peccatu totius naturae, & ideo no potuit dari fieri pro eo nisi per potentia quae aquaretur, vel praponderaretur toti naturae quae no potuit esse in pura creatura, peccatu autem actuale, licet sit grauius, est tamen persona & non natura. Vel potest dici qd Deus potest conferre purae creaturae, vt possit satisfacere de peccato originali, vt tangit personam sua propriam, sicut pro peccato actuali. Adam etia satisfecit pro suo peccato actuali quatenus fuit personale in quantum vero peccatu originale, quod fuit totius naturae, quatenus in ipso erat tota natura, non videtur quin etiam Deus de potentia absoluta potuerit purae creaturae conferre tantam gratiam, vt possit satisfacere pro peccato originali non vnus tantum, sed etiam omnium, vt dictum fuit lib. 3.

QUESTIO SECVNDA.

Vtrum aliquis possit satisfacere de vno peccato non satisfaciendo de altero.

Tho. 3. q. 86. ar. 3.

Secundo quaeritur vtrum homo possit satisfacere de vno peccato non satisfaciendo de altero. Et arguitur quod sic: quia eorum quae non habent connexionem ad inuicem vnus potest auferri sine alio, sed peccata no habent connexionem ad inuicem, alia qui haberet vnus haberet omnia, ergo vnus potest auferri per satisfactionem sine alio.

2. Item Deus est magis misericors qd homo, sed homo recipit satisfactionem vnus debiti sine alio, ergo Deus recipit satisfactionem vnus peccati sine alio.

3. Item si fuerint alicui iniuncta multa ieiunia vel elemosynae, & in peccatum cadens ea perfecit non iniungitur ei quod iteru tatum ieiunet, vel tot elemosynas det, iniungeretur autem si per ea satisfactio non fuisset impleta, ergo &c.

4. IN CONTRARIUM arguitur: quia elemosyna & ieiunium & oratio sunt partes satisfactionis, vt dictum fuit: sed per ista non fit satisfactio si homo sit in aliquo peccato, ergo nullus potest satisfacere pro vno peccato existens in alio. Minor patet quantum ad ieiunium, quia Esa. 8. Ieiunium eorum qui ad lites & contentiones ieiunabant non dicitur esse acceptum, sed & de oratione dicitur Esa. 1. Cum multiplicaueris orationes non exaudiam, &c. Et de elemosyna vero dicit Apost. 1. Cor. 13. Si distribuero in cibos pauperu omnes facultates meas, charitatem autem no habeam nihil mihi prodest, igitur.

RESPONSIO. Ista questio potest dupliciter intelligi secundum qd satisfactio potest dupliciter accipi. Vno modo potest accipi satisfactio prout includit simul & pro eodem tempore reconciliationem amicitiae, & solutionem poenae debite. Alio modo prout includit solutionem poenae debite pro offensa supponedo reconciliationem amicitiae praecedentem, & secundum hoc questio potest intelligi dupliciter. Vno modo sic, vtrum homo existens simul in pluribus peccatis possit reconciliari Deo quantum ad vnus eorum, & exolvere poenam pro illo debitam, & non quantum ad aliud. Alio modo supposito qd aliquis de vno

peccato fuerit contritus & deo reconciliatus & poenitentiam sibi iniunctam recepit, si ante solutionem poenae incidat in aliud mortale, vtrum in illo peccato mortali existens possit de primo satisfacere exoluedo poenam?

6. Quantum ad primum intelligendum, questio non est multum dubitabilis: clarum est enim qd homo existens in pluribus peccatis non potest de vno satisfacere sine alio, prout satisfactio includit reconciliationem amicitiae & solutionem poenae debite. Cuius ratio est, quia impossibile est fieri reconciliationem amicitiae hominis ad Deum quandiu in homine est impedimentum amicitiae contrarium, sed quandiu homo in aliquo peccato mortali manet, tandiu est in ipso impedimentu diuinae amicitiae contrarium, quia illa est per charitatem quae vniversa delicta operit, Prou. 4. ergo quadiu homo est in aliquo peccato mortali impossibile est qd reconcilietur deo de alio: sed satisfactio primo modo accepta includit reconciliationem, ergo &c. De hoc habetur de poen. dist. 2. cap. sunt plures. & est Aug. Istud enim veru est in satisfactione quae est inter homines. Si quis enim in pluribus offendat alterum, si non velit reconciliari nisi quoad vnus & no quoad alteru, reputaretur derisorium.

7. Si vero questio intelligatur secundo modo, scilicet vtrum homo qui reconciliatus est deo de aliquo peccato mortali per contritionem & teneatur ad poenam satisfactoriam, si postea cadat in peccatu mortale, & in tali statu faciat poenitentiam an sit a poena liberatus. sic questio est magis dubia, quia no solum diuersi, sed vnus & idem in diuersis locis contraria opinatur. Quibusdam enim videtur qd sit liberatus, quia talis est solum debitor poenae certae & finite. Sed illam exoluit, ergo non potest ab eo plus exigi. Item secundum iustitiam humanam si quis poenam taxatam & acceptam pro praecedente offensa sibi dimissa exoluit, etiam postq de nouo offendit, liberatus est totaliter, ergo similiter est secundum iustitiam diuinam. Item si non esset liberatus ab hac poena & exolueret eam in inferno, aut ergo solueret finitam, aut infinitam: si finitam eadem ratione finita poena facta in peccato mortali debuit sufficere: si infinitam videtur inconueniens, quia no erat debitor nisi poenae finite. Item videtur inconueniens qd homo tantum puniatur pro peccato quod fuit sibi vere dimissum sicut pro peccato quod nunquam fuit sibi dimissum, alioquin nihil prodesset contritio nec confessio. Sed istud sequeretur si pro peccato dimisso puniretur aeterna poena in inferno, ergo &c. Et si dicitur qd nihil prohibet qd aliquis puniatur aequali poena pro peccato dimisso ac si non fuisset dimissum non quidem per se: quia in dimissione culpae dimittitur reatus poenae aeternae, sed per accidens. ratione status, & quia in inferno nulla est redemptio, non valet, quia qd in inferno non fit status expiandi poenam, hoc est quia non est ibi status expiandi culpae, & ad culpam sequitur poena. Sed istud non habet locum quoad poenam debitam dimissae culpae, quia illa iam est expiata. Et hoc expresse tenet Fra. Tho. infra, dist. 20. ar. 1. in solutione. 3. articuli.

8. Alii dicunt qd per talem poenitentiam factam in peccato mortali no liberatur quis a poena peccato debita, quia in satisfactione oportet qd restituta amicitia, aequalitas iustitiae restituitur, cuius contrarium soluit amicitiam (vt patet. 9. Ethic.) aequalitas autem in satisfactione ad deum non est secundum aequalitatem, sed magis secundum acceptationem ipsius, vt dictum est, & ideo oportet qd si offensa sit dimissa per praecedentem contritionem, quod opera satisfactoria sint Deo accepta quod dat eis charitatem, & ideo sine charitate opera facta non sunt satisfactoria. Et iste modus licet sit durior, est tamen securior qd prius, & ideo magis est consulendus, primus tamen no est totaliter condemnandus.

9. Secundum hanc opinionem potest responderi ad rationes primae opinionis. Ad primam dicendum qd peccator postquam reconciliatus est, est debitor poena finite non qualitercunq; soluendae, sed in statu gratiae in quo solum est Deo accepta. Alioquin est debitor tantae poenae quantum meretur culpa, & illa est infinita. Ad secundam dicendum quod non est simile de poena pro offensa commissa in hominem cui potest responderi emendata aequaliter

liter secundum quantitatem rei, & de illa que debetur pro  
offensa commissa in Deum cui non potest respondere emen-  
da equalis secundum quantitatem, sed secundum diuinam  
acceptationem que non est de operibus extra charitatem  
factis. Ad tertium dicendum quod pro culpa dimissa punietur  
in inferno pena infinita, non propter commutationem  
pene finitae in infinitam, sed quia debitor est pene infini-  
te ex quo non soluit penam finitam sub illa conditione  
qua debuit. Ad quartum dicendum quod in inferno tantum  
punitur homo pro peccato commisso pro quo non fecit po-  
nitentiam in statu gratiae, ac si non fuisset dimissum: nec pro-  
pter hoc est inutilis contritio & confessio, quia quantum  
est de se introducit ad regnum & liberat a pena aeterna:  
per accidens tamen vtrunque imputari potest scilicet per  
peccatum superueniens ratione cuius mortificatur super-  
ueniens contritio & confessio & pena aeterna exolvitur,  
quia temporalis in qua per contritionem mutata fuit, non  
est soluta in ea conditione & statu ut debuit. Instantia  
etiam que postea ponitur non valet, vt sequens solutio satis  
declarat: non enim propter statum damnatorum dicimus  
quod pena pro peccato dimissa sit infinita, sed quia talis est  
debita absolutae pro tali culpa, scilicet mortali nisi tempo-  
ralis solvatur sicut debet solui.

Vide Scot.  
d. 2. c.  
Cate. 12. q.  
87. ar. 1.

10 Si autem aliquis vellet tenere primam opinionem  
posset dicere ad rationem secundae opinionis quod id quod  
Deus semel acceptavit non retractat. Cum ergo Deus di-  
mittendo culpam extunc acceptet pro satisfactione pena  
finitam, videtur quod in quocumque statu talis pena sol-  
uatur quod sit ei accepta & satisfactoria propter praec-  
edentem acceptationem.

11 Ad duo prima argumenta que videntur probare  
quod homo existens in pluribus peccatis potest reconciliari  
Deo quantum ad vnum, & exolvere penam satisfactoriam  
de vno sine alio, respondendum est. Ad primum cum di-  
citur quod peccata non habent connexionem ad invicem dicendum  
quod peccata non habent connexionem ad invicem in aliquo vno  
quantum ad commisionem, imo vnum potest quis incur-  
tere sine alio, sed quia vnum & idem est secundum quod  
omnia peccata remittuntur, ideo remissionis diversorum  
peccatorum connexa sunt & de vno sine alio satisfac-  
tio fieri non potest.

12 Ad secundum dicendum quod in obligatione debiti  
non est nisi inaequalitas iustitiae opposita, quia vnus rem-  
alterius habet: & ideo ad restitutionem non exigitur nisi quod  
restituatur equalitas iustitiae: quod quidem fieri potest de  
vno debito & non de alio, sed ubi est offensa ibi est inae-  
qualitas non solum iustitiae opposita, sed etiam amicitiae, &  
ideo ad hoc quod per satisfactionem offensa tollatur, non so-  
lum oportet quod equalitas iustitiae restituatur per rec-  
pensationem equalis poene, sed etiam quod restituatur ami-  
citiarum equalitas, quod non potest esse dum aliquid est quod  
amicitiam impedit.

13 Ad tertium dicendum quod dato quod ieiunium & elee-  
mosyna non essent extra charitatem satisfactoria, non oportet  
tamen quod iterato iniungantur tot ieiunia, & elee-  
mosynae erogandae vt prius: quia quaedam opera sunt ex qui-  
bus remanet aliquis effectus etiam postquam actus transiit, si-  
cut ex ieiunio manet corporis debilitatio, & ex eleemosy-  
nis largitis relinquatur diminutio substantiae exterioris,  
& quia ista non sunt solum satisfactoria secundum suum  
fieri sed etiam secundum suum effectum quem relinquunt, quia  
non solum ea facere est poenale, sed etiam id quod ex eis re-  
linquitur, ideo non oportet quod talia iterentur totaliter, quia  
quantum ad id quod de ipsis remanet sunt Deo accepta.  
Et in hoc praeponderat eleemosyna ieiunio, quia ferè tan-  
ta poena est dedisse eleemosynam sicut fuit dare, quia ita  
pauper est aliquis diu postquam dedit eleemosynam, sicut effi-  
citur quando actus dat. Vnde exclusa poena donationis  
actualis (que forte tristitia habet) poena damni tempora-  
lis (scilicet diminutio substantiae exterioris) equalis remanet.

Et ideo tali acceptati hanc poenam modicum esse de ista  
poenitentia iniungendum, sed in ieiunio multo maior pe-  
na est in actu ieiunandi quam post, quia non solum in ieiunan-  
do est debilitatio corporis, sed etiam actualis afflictio sen-  
sualitatis quae non remanet post ieiunium, nec par debili-  
tatio, quia continè reparatur virtus corporis per sumptio-  
nem alimenti. Alia sunt opera quae post suum fieri non re-

linquunt aliquem effectum poenalem in faciente, vt est ora-  
tio & similes actus, & talia oportet quod iterentur.

14 Si quis verò vellet tenere quod opera facta extra cha-  
ritatem essent satisfactoria pro peccato prius dimisso, pos-  
set respondere ad rationem alterius partis dicendo, quod  
per illas auctoritates non plus habetur nisi quod eleemosyna,  
ieiunium, & oratio non sunt opera meritoria vitae aeternae,  
si fiant sine charitate, ergo facere bonum satisfactoria culpe prius  
dimissae: plus enim requiritur ad meritum quam ad satisfactio-  
nem, quia per meritum acquiritur vita aeterna, & ideo  
ad ipsum tenetur charitas actualiter ipsum informans vt  
opus actualiter acceptetur tanquam remunerandum vita aeterna.  
Sed per satisfactionem solum soluitur poena debita acce-  
pta a deo cui debetur, quae poenam ex quo Deus semel ac-  
ceptavit videtur quod liberatus sit qui eam soluit, & sic  
satisfactoria non requirit charitatem principaliter dum fit,  
licet requirit praesens quoad Deus culpam dimittit & po-  
enam faciendam acceptavit.

### QUESTIO TERTIA.

Vtrum bona opera facta extra charitatem sint alicuius  
boni temporalis meritoria.

Thom. 1. q. 89. ar. 6. ad 1.

**T**ertio quaeritur vtrum opera bona facta extra chari-  
tatem sint boni alicuius temporalis meritoria. Et vi-  
detur quod sic, quia sicut se habet poena ad actum malum  
ita praemium ad bonum: sed nullum malum remanet im-  
punitum a deo, ergo nullum bonum est quod non remu-  
neretur ab ipso, & sic quodlibet bonum meretur aliquod  
praemium saltem temporale.

2 Item magis est facere bonum quam dimittere malum,  
sed dimittere malum semper vitare praeter etiam in eo qui  
charitate caret, ergo facere bonum praeter quotationem poenae  
meretur aliquod praemium.

3 IN CONTRARIUM est quod dicit Aug. quod  
peccator non est dignus pane quo vescitur, sed illud est  
necessarium & minimum, ergo cum hoc non meretur  
non meretur aliquid aliud, nec adeptioem boni, nec viti-  
tationem mali.

4 **R**ESPONSIO. Circa questionem istam notan-  
dum est quod cum meritum proprie dicatur actio per quam  
efficitur ei qui agit aliquid debitum dari, sicut est duplex  
debitum ita est duplex meritum. Quoddam enim est de-  
bitum de condigno, quod est debitum simpliciter. Quan-  
do ex natura operis iustum est quod talis merces reddatur  
operanti propter aequalitatem quae est inter opus & mer-  
cedem, & si non reddat iniustus est, & istud meritum non  
est inter hominem & deum, vt declaratum est lib. 1. Aliud  
est debitum de congruo cui non debetur talis merces ex  
natura operis, sed ex liberalitate dantis: aliquid enim  
licet liberalem dare quod alius non meruit ex con-  
digno recipere meritum ergo de condigno respicit debi-  
tum primo modo dictum, meritum autem de congruo re-  
spicit meritum secundo modo dictum.

5 Hoc supposito dicendum est quod praedicta quaestio vel  
intelligitur de merito hominis ad hominem, vel de me-  
rito hominis ad deum. Si intelligitur de merito hominis  
ad hominem sic dicendum, quod per opera bona extra chari-  
tatem facta vnus homo potest apud alium mereri mer-  
cedem temporalem, sicut homo peccator colens agrum  
alterius meretur ex condigno iustum praemium inter eos  
condignum, nec de hoc est dubitatio: dignus est enim ope-  
rarius mercede sua. Si autem intelligatur de merito homi-  
nis ad deum, aut intelligitur de merito stricte & proprie  
sumpto, & sic nullus homo potest aliquid mereri apud de-  
um, vt dictum est: quia non potest aliquid per quod dicitur  
opus suum reddere deum debitor, ita vt si deus non red-  
dat fiat iniustus: hoc enim esset blasphemum.

6 Sed contra hoc arguunt quidam, quia peccans mortua-  
liter meretur ex condigno poenam, & tamen Deus non est debi-  
tor iniuriati talem poenam, ita vt sit iniustus si eam non iniuri-  
gat: ergo similiter in bonis potest esse meritum de condigno  
proprie & stricte sumpto, & tamen Deus non erit debitor  
reddendi praemium pro tali merito, nec erit iniustus si  
non reddat. Et ad hoc dicendum est quod non est simile  
in

in bonis & malis, quia in bonis si merenti ex condigno non redditur premium subtrahitur ei bonum quod est ipsi debitum, & ita fit ei iniuria nisi hoc procederet de voluntate sua, quia nullus paritur iniustus volens. sed si peccanti non iniungitur poena quam meruit non fit ipsi iniuria, sed gratia: quia poena ut poena est, rationem mali habet quo quis libet libenter caret, & ideo in bonis merenti ex condigno reddendum est premium ex debito, & ille ad quem pertinet reddere iniustus est si non reddat: in malis vero si non reddatur poena pro culpa non fit peccanti iniuria sed misericordia. Aliud est meritum de condigno non quidem stricte & proprie sumpto, sed large pro quadam dignitate quam Deus ex sua ordinatione requirit in nobis ad hoc, ut opera nostra acceptentur ab ipso tanquam remunerabilia vita aeterna. Et haec dignitas est per gratiam vel charitatem, & isto modo peccator qui caret gratia non meretur ex condigno aliquid apud Deum, nec bonum spirituale, nec temporale. Retinet ergo quod si peccator per bona opera extra charitatem facta aliquid mereatur apud Deum, quod hoc fit solum de congruo, quia diuinam bonitatem decet, ut bene utenti naturalibus conferat ea quae ordinantur ad sustentationem naturae, & ubi inuenit dispositionem adiacentem perfectionem: peccator autem faciendo opera bona bene utitur naturalibus, ipsa etiam opera bona sunt quadam bonae dispositiones ad gratiam, & ideo decet bonitatem diuinam, ut pro talibus operibus conferat bona temporalia quae ordinantur ad sustentationem naturae, vel quod immitat aliquam motionem seu inspirationem per quam propinquius disponatur ad gratiam, & sic talia opera valent ad duo, videlicet ad temporalium consecutionem & ad disponendum ad gratiam.

7 Ad Primum argumentum dicendum quod non est simile de bono actu & malo, quia omnis actus noster bonus, est deo debitus, sic ut ipsum possit exigere. Et ideo non potest esse de condigno meritorium alterius boni, actus autem noster malus tantum est amplius contra iustitiam quantum ab eo plura bona recepimus, & ideo ex condigno meretur poenam.

8 Ad secundum dicendum quod facere bonum non solum vitat poenam, sed meretur mercedem non de condigno, sed de congruo, quia merces congrue potest ei auferri propter ingratitude sequentis peccati.

QUESTIO QVARTA.

Utrum bona facta extra charitatem mereantur diminutionem poenae inferni.

Tho. vii supra, q. 82. ar. 6.

Quarto quaeritur utrum bona facta extra charitatem mereantur diminutionem poenae inferni. Et arguitur quod sic: quia oppositorum oppositi sunt effectus, sed malum & bonum opponuntur, ergo cum mala sint causa intentionis poenae infernalis, videtur quod bona sint causa remissionis eiusdem.

2 Item plus debent unicuique prodesse bona propria quam aliena, sed opera bona suffragiorum quae fiunt per alios valent ad diminutionem poenae infernalis, sicut dicit beatus Aug. in Enchir. quia ad hoc profunt, ut plena remissio vel ut tolerabilior fiat damnatio: ergo a fortiori bona propria quae aliquis facit, valent ad remissionem poenae inferni.

3 IN CONTRARIUM arguitur sic, quia poena inferni est finita intensiue, omne autem finitum confumitur: ablato aliquoties aliquo finito, si ergo per opera bona extra charitatem facta minueretur poena inferni, toties possent multiplicari bona quae poena inferni tolleretur vel simpliciter vel saltem quoad aliquod tempus, quod reputatur inconueniens.

4 RESPONSIO. Dicunt quidam quod poena infernalis & quaelibet alia potest minui dupliciter. Vno modo per se & directe aliquid de poena subtrahendo vel remittendo. Vno modo indirecte non minuendo poenam, sed fortificando subiectum. Verbi gratia, ego possem diminueri poenam hominis laborantis sub onere, vel diminuendo de pondere vel fortificando subiectum dando cibum vel potum, quibus homo refocillatus facilius portat onus: & dicunt tunc ad propositum, quod opera facta extra charita-

tem valent ad diminutionem poenae non tollendo, vel minuendo aliquid de ea, sed confortando, vel fortificando subiectum. Ratio primi est: quia manente culpa manet poena sibi proportionata, sed in damnatis semper manet culpa in nullo diminuta propter opera extra charitatem facta, ergo manet poena in eis in nullo diminuta. Ratio secundi sic potest esse: quia nisi talia opera valerent ad diminutionem poenae videretur omnino frustra facta, quod videtur inconueniens, ergo cum non valent ad diminutionem poenae subtrahendo aliquid de ea, valent ad fortificandum subiectum.

5 Quicquid sit de primo articulo, secundus non videtur rationabilis: qualiter enim fortificetur subiectum per opera extra charitatem facta non est facile dare modum, nec ipsi dant, nec appareret aliquis nisi diceretur, quod damnato placet fecisse talia bona, & sic ex complacentia quae est delectabilis, & consentanea naturae confortatur natura, ad sufferentiam poenae. Sed hoc non valet, quia bona extra charitatem facta si placerent damnatis, aut placerent eis secundum se: quia bona fuerunt ex genere, aut placerent solum propter vitiationem poenae qua incurrisset in talia omisit. Primum non potest dici: quia comuniter tenetur, quod voluntas damnatorum semper est mala, aut quia vult id quod malum est ex genere, aut si velit bonum tamen malo sine, ergo damnati nunquam volunt bonum secundum se & propter se: si vero dicitur secundum, non videtur quod propter hoc confortetur natura, ut tolerabilius sustineat, quia nolle habere ampliorem poenam non facit, ut tolerabilius sustineatur illa quae habetur.

6 Dicendum ergo aliter quod poena inferni minui per opera extra charitatem facta potest intelligi dupliciter. Vno modo ut minuatur illa quae iam est debita. Alio modo ut non debeat tanta quanta deberetur si illa non fuissent facta. Primo modo poena inferni nullo modo minui potest. Cuius ratio est, quia magis deberet minui poena inferni per opera mortificata quam per opera mortua: sed per opera facta in charitate & postea mortificata non minuitur, ergo nec per opera facta extra charitatem quae sunt mortua. Maior patet, quia maioris efficaciae sunt opera facta in charitate quam extra. Minor probatur, quia si per opera mortificata minueret poena inferni hoc esset: quia recompensaretur in diminutione poenae quod fuit eis in merito vitae, sed talibus operibus debebatur vita aeterna, ergo per talia opera totaliter tolleretur poena aeterna, quod est inconueniens: quia qui sic semel fecisset opus bonum in charitate, non posset postea puniri aeternaliter, saltem si sequens peccatum non proponderet in culpa merito boni operis praecedentis facti in gratia. Secundo modo potest poena inferni minui, si non debeat tanta, quia quaedam sunt opera quae pro loco & tempore non possunt omitti sine peccato mortali, ut cõfiteri Christum coram persecutore, vel honorare parentes in necessitate: qui ergo talia facit, vitat culpam & poenam culpae debitam, quae sibi accumularet si praedicta opera non faceret. Et haec est intentio Aug. quae habetur in litera, in haec verba: Si quis non habens charitatem in aliquo schismate constitutus ne Christum neget patitur tribulationes, famem, persecutionem, vel flammam, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennae nullo modo ista culpanda sunt, imò hic est laudanda patientia. non enim dicere poterimus melius ei fuisset si Christum negando nihil eorum pateretur, quae est passus confitendo. Sed estimandum est fortasse tolerabilius futurum iudicium quam si Christum negando nihil eorum pateretur, ut illud quod ait Apost. (Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam nihil mihi prodest) intelligatur ad regnum obrinendum, non ad extremi iudicii tolerabilium supplicium subeundum. Haec sunt verba Aug. in litera.

7 Ad primum argumentum dicendum quod sicut mala multiplicata sunt causa intensiois poenae infernalis, sic bona in charitate facta quanto plus multiplicantur tanto sunt causa intensiois gloriae per modum meriti: bona autem quae fiunt extra charitatem ad neutrum praedictorum se extendunt, quia nec merentur gloriam propter defectum charitatis, nec poenam, quia bona sunt, nec diminutio est poenae in inferni iam debite, sed ea faciendo curamus poenam quam incurramus quandoque ea omittendo.

§ Ad secundum dicendum est concedendo maiorem & negando minorem: & ad dictum Augu. respondendum est quod ipse non intellexit quod per suffragia Ecclesie minuat pena illorum qui sunt in inferno damnatorum, scilicet aeternaliter, sed illorum qui sunt in purgatorio: eis enim profunt suffragia Ecclesie, vel ad plenam remissionem, vel ad tolerabiliorem damnationem.

Sententia secunda: partis distinctionis XV.  
generalis & specialis.

**S**Artis arbitror. Superius Magister soluit rationes confirmantes errorem illorum qui dicunt penitentiam posse agi de vno peccato sine aliis, hic improbat directè illum errorem, & diuidit in duas partes. Quia primò illum errorem improbat. Et secundò concludit veritatē, scilicet quæ sit vera & sufficiens pena ibi. Ex præmissis, &c. Prima diuiditur in duas. Quia primò probat intentum per miracula quæ Christus fecit in curatione infirmorum. Et secundò ex comparatione penitentiae ad baptismum. Secunda ibi, Quaedam enim impietas. Hæc est diuisio & sententia in generali.

2 IN Speciali sic procedit, & primò dicit satis est responsum his obiectionibus per quas probatur quod vera penitentia potest agi de vno peccato sine aliis: quod est falsum, vt patet per ea quæ fecit Christus in curatione infirmorum: iudum enim, & mutum, & a dæmonio possessum totaliter liberauit, a muliere habente septem dæmonia oēs eiecit. Et ab homine habente legionem dæmonum omnes eiciens nullum reliquit, totum etiā hominē sanum fecit in sabbato. Ex quibus datur intelligi quod omne peccatum Deus dimittit, aut nullum: est enim inimicus omnis peccati, vnde sicut per baptismum omne peccatum mortale dimittitur, sic per veram penitentiam. Vltimò concludit quod illa est vera penitentia quæ omne peccatum abolet, quod fit quando aliquis penitet de omnibus peccatis cū proposito non committendi, & satisfaciendi de cōmissis: satisfactio autem hic nō accipitur pro restitutione rei ablatae, quandoque enim restitui nō potest, vt cū oculus vel vita alicui iniuste eripitur, & tamen si verè penituerit & aliter prout potest satisfecerit veniam consequitur: vbi autem restitutio est possibilis non est vera satisfactio sine restitutione. Et in hoc terminatur, &c.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum satisfactio debeat fieri per opera pœnalia.

Thom. 4. dist. 15. q. 1. ad. 4.

**C**irca lectionē istam queritur de partibus satisfactio- nis. Et primo in generali vtrum satisfactio debeat fieri per opera pœnalia. Et arguitur quod non: quia si pœnalitas esset de ratione operis satisfactorij quanto opus esset minus pœnale, tanto esset minus satisfactorium, sed quanto opus fit ex maiori charitate, tanto est minus pœnale, ergo quanto opus fieret ex maiori charitate, tanto esset minus satisfactorium, hoc autē est falsum, ergo &c.

2 Item satisfactio quæ fit deo valet propter eius acceptationem, & nō ex sola natura operis. Sed multa opera delectabilia possunt esse deo magis acceptata q̄ opera pœnalia, ergo satisfactio potest fieri æquē bene, vel melius per opera delectabilia quæ possunt esse deo magis acceptata quàm opera pœnalia.

3 IN contrarium est quod dicit Greg. Iustum est vt peccator tanto maiora inferat sibi lamenta per penitentiam, quanto maiora intulit sibi damna per culpam.

4 **R**ESPONSIO. Dicendum est quod satisfactio quā homo potest deo facere debet fieri per opera pœnalia. Cuius ratio est, quia satisfactio (vt patet ex prædictis) est recompensatio offense per emendam, sed talis recompensatio non potest esse nisi per opera pœnalia, ergo &c. Probatio minoris: recompensatio enim importat quandam adæquationem inter illum qui offendit & illum in quem offensa commissa est, adæquatio autem in iustitia fit per subtractionem ab illo qui plus iusto habuit, & additionem ad alterum cui subtractum est aliquid: peccator autem quantum in ipso est subtrahit deo peccando non quidem aliquid quod sit in deo subiectiue, quia sic deo nihil subtrahi potest, sed obedientiā & reuerentiam

q. v. huius  
dist. 15.

dist. 15.  
ad. 4.

qua quilibet tenetur obtemperare præceptis diuinis, ergo ad hoc quod recompensatio fiat oportet quod per satisfactio- nem subtrahatur aliquid a peccatore quod in honore Dei cedat. Opus autē malum non potest in honorem dei cedere: opus verò bonum si sit delectabile nihil subtrahit ab operante, sed magis perficit ipsum, ergo ad hoc quod aliquid opus sit satisfactorium oportet quod sit bonum vt cedat ad honore Dei, & quod sit pœnale, vt subtrahat aliquid peccatori.

5 Et propter hoc assignantur tres partes satisfactio- nis, scilicet ieiunium, elemosyna, & oratio, quarum sufficien- tia potest haberi hoc modo: satisfactio, vt dictū est, debet esse talis per quam nobis subtrahatur aliquid quod fit ad honore dei, habemus autē tria bona in nobis. s. bona for- tunæ, bona corporis, & bona aīæ. Ex bonis fortunæ sub- trahimus nobis per elemosynam. Ex bonis corporis per ieiunium. Ex bonis animæ per orationem submittendo deo totaliter propriam voluntatem: vel potest sumi di- stinctio istorum per comparationem ad illa a quibus homo curatur per satisfactio- nem. Quia per ieiunium cura- tur homo a concupiscentia carnis, per elemosynam a cō- cupiscentia oculorum quæ est de rebus fortunæ, per ora- tionē a superbia vitæ: vel aliter homo debet bene ordina- ri ad deū & ad seipsū & ad proximū: ordinatur autē bene per orationē ad deū, per elemosynā ad proximū, per iei- unium ad seipsum castigando corpus proprium, sub iei- unio autem comprehenditur quicquid pertinet ad afflictio- nem corporis, vt peregrinationes, vigiliæ, & huiusmodi: sub elemosyna autem omne oblatum, vel collatum pro- pter Deum.

6 Ad primū arg. dicendum quod aliquid est pœnale ex genere operis, & tale quanto magis est pœnale, tanto ma- gis satisfactorij suppositis aliis quæ necessario requiruntur ad satisfactio- nem, aliquid verò est pœnale magis, vel minus ex dispositione operantis. Et si dispositio alicuius pœnalitatem sit bona, nō minuit satisfactio- nem. Et ideo opus pœnale quod alleuiatur per charitatem nō minuit satisfactio- nem, sicut opus bonum & disti- cile procedēs ex maiori virtute nō minuit meritum.

7 Ad secundum dicendum quod licet acceptatio diuina re- quiratur tam ad meritum q̄ ad satisfactio- nem, tamen ipsa præsupponit in vtroque bonitatem operis: & in satisfactio- ne specialiter pœnalitatem propter causam assignatam in corpore solutionis, ergo &c.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum elemosyna sit pars satisfactio- nis.

Thom. 2. 2. q. 32. ar. 1. ad. 1.

**D**einde queritur de partibus satisfactio- nis in specie. Et primo de elemosyna. Et secundo de ieiunio. Tertio de oratione. Circa primum quaruntur tria. Pri- mum est vtrum elemosyna sit pars satisfactio- nis. Secun- dum est de diuisione elemosynæ. Tertium est ad quem pertineat facere elemosynam, & de quibus rebus. Ad pri- mum sic proceditur, & arguitur quod elemosyna nō sit satisfactio- nis pars, quia satisfactio debet fieri illi in quem offensa fuit commissa: sed elemosyna non datur deo in quem culpa fuit commissa, sed datur pauperi qui ex culpa non fuit læsus, nec offensus, ergo ipsa non est satisfactoria.

2 Item illud quod est aliās debitum non est satisfactorium, sed dare elemosynā est debitum charitatis etiā in eo qui peccatū non habet, ergo &c. Maior patet, quia quod est debitum ex vno nō est satisfactorium pro alio. Minor probatur per illud quod dicitur. 1. Ioā. vlt. Si quis habuerit substantiā huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatē habere, & clauerit viscera sua ab eo quomodo do charitas Dei est in illo?

3 Item satisfactio est actus iustitiæ: vt supra dictū est, sed elemosyna est actus misericordiæ, ergo elemosyna non est satisfactoria.

4 IN CONTRARIUM est quod dicit glosa sua per illud Luc. 3. Facite dignos fructus penitentiae. quod dare elemosynam pars est penitentiae, sed non nisi ratione satisfactio- nis, ergo elemosyna est pars satisfactio- nis.

5 **RESPONSIO.** Circa questionem istam videndum est primo qualiter elemosyna est satisfactoria. Et secundum qualiter se habet ad alias partes satisfactionis.

6 Quantum ad primum patet dupliciter quod elemosyna est satisfactoria, primo quia opus bonum penale est satisfactorium, ut patet ex precedentibus, sed elemosyna est opus bonum & penale, ergo. &c. Secundo, quia iustitia humana exemplata est ex diuina, sed secundum iustitiam humanam satisfacit homo de offensa commissa non solum per poenam quam sustinet, sed per redemptionem quam exhibet: ergo secundum iustitiam diuinam non solum satisfacit homo per ieiunium tanquam per poenam qua corpus affligitur, sed per elemosynam tanquam per redemptionem qua exhibetur.

7 Quantum ad secundum sciendum est, quod quando aliqua comparantur inter se, debent comparari ceteris existentibus paribus, & in hoc dicendum est quod supposita pariter gratia vel charitate, ieiunium est magis satisfactorium quam elemosyna, vel oratio: indirecte tamen & concomitariue elemosyna est magis satisfactoria. Primum patet, quia supposita charitate illud est magis satisfactorium quod est magis penale, quia in opere satisfactorio formalis conditio ex parte operis est penalitas. Sed ieiunium est magis penale quam elemosyna vel oratio, comprehendendo sub ieiunio quicquid est corporis afflictiuum: ut disciplina, vigiliae, peregrinationes, & abstinencia ciborum, quae omnia sub ieiunio comprehenduntur (ut dictum fuit) ergo ieiunium est magis satisfactorium quam elemosyna, vel oratio: necessitas est contra illud quod dicitur. 1. Tim. 4. exercitatio corporis ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia valet, quia differt meritum & satisfactio, meritum enim est ad acquirendum premium ad quod requiritur, & sicut bonitas operis, & quod est melius est magis meritorium, & sic dare elemosynam est magis meritorium quam ieiunium, cum sit opus bonum danti & recipienti. Ieiunium autem non sic. Satisfactio autem cum ordinetur ad expiationem poenae requirit quidem opus bonum, sed for male in opere est penalitas. Quia poena per poenam reat compenatur, propter quod ieiunium quod est magis penale est magis satisfactorium. Indirecte autem & concomitariue elemosyna est potior pars satisfactionis. Cuius ratio est, quia illa est potissima pars satisfactionis in qua virtualiter continentur aliae partes, sed in elemosyna virtualiter continentur ieiunium & oratio, ergo &c. Minor patet, quia elemosyna cum alicui datur constituit debitorem ad ieiunandum, & orandum, & satisfaciendum alia bona quae potest pro eo qui dedit, loquedo de debito morali, non ciuili. Secundo, quia elemosyna propter Deum data est quasi quadam oblatio Deo facta, vnde. 4. Ethico, dicitur, quod dona habent aliquod simile Deo factis, oblatio autem facta Deo vim orationis habet: frequenter enim plus impetrat donum quam supplicatio. Item cum bona exteriora ad conseruationem corporis ordinantur, subtractio eorum per elemosynam quasi virtualiter continetur ieiunium. Et plerumque contingit quod aliquis arctius viuat ex hoc quod sua dedit, igitur elemosyna copletius habet vim satisfactionis quam oratio vel ieiunium. Et propter hoc inducitur, ut vniuersalis medicina peccati. Luc. 11. Date elemosynam & ecce omnia munda sunt vobis, & Thobias. 4. Elemosyna ab omni peccato liberat.

8 AD primum argu. dicendum quod satisfactio pro culpa debet fieri illi in quem culpa fuit commissa, vel alii de eius voluntate & ordinatione: & hoc modo fit satisfactio per elemosynam non quidem ipsi Deo immediare qui bonorum nostrorum non indiget, sed pauperibus de eius voluntate & ordinatione, cum ipse dicat, quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

9 Ad secundum dicendum quod dare elemosynam quandoque est in praecipio & tunc est meritoria, licet secundum quosdam non sit satisfactoria: quia in casu illo nullus dat suum proprie loquendo, sed reddit alteri quod est ei debitum: quandoque vero non est in praecipio, & tunc non est solum meritoria, sed etiam satisfactoria.

10 Ad sciendum autem quando est in praecipio & quando non, aduertendum est, quod cum usus bonorum exteriorum sit ordinatus ad subueniendum necessitatibus presentis vitae, subuenientia ista debet esse ordinata secundum

charitatem qua quis tenetur primo modo sibi, secundo coniunctis, tertio extraneis: necessitas etiam quam quis patitur in bonis exterioribus potest esse dupliciter absoluta, & conditionata. Absoluta quando omnia bona temporalia quae quis habet sunt ei adeo necessaria quod sine eis non posset viuere. Et hoc a quibusdam vocatur necessitas naturae. Conditionata vero dicitur quando sunt ei necessaria ad conseruationem decentis status. Et haec dicitur necessitas personae in quantum persona nominat dignitatem & statum. Dicendum ergo quod illud quod est necessarium naturae necessitate absoluta, non est praecipuum dari, imo illicitum, quia plus tenetur quilibet sibi quam aliis. Illud autem quod est solum necessarium ad decentiam status ex praecipio dari debet pro releuatione absolutae & extremae necessitatis alterius: quia plus tenetur quilibet diligere ex charitate vitam proximi, quam decentiam status sui. Sed non debet dari pro releuatione status alterius: quia nullus tenetur verecunde viuere in suo statu, ut releuet alium ad decentem statum. Quod autem est superfluum vtriusque necessitati naturae, scilicet & status, dari debet ex praecipio secundum illud Luc. 11. quod superest dare elemosynam. nec est dubium quin sit praecipuum respectu illorum qui sunt in extrema necessitate, quia illis ex praecipio dandum est quod est necessarium proprio statui, & fortiori ratione illud quod superfluit. De illis autem qui non sunt in extrema necessitate, licet sint in magna & verecunda, non audeo plene diffinire, ne condemnationem maiorem partem diuitum. Sed auctoritas beati Iohannis prius allegata quae non solum loquitur de necessitate extrema, sed de notabili & verecunda videtur hoc sonare.

11 Ad tertium argumentum dicendum quod licet elemosyna secundum se, & extra calum necessitatis sit opus misericordiae: tamen in quantum iniungitur a sacerdote, & acceptatur a penitente ad recompenlandam offensam diuinam, est opus iustitiae.

QUESTIO SEPTIMA.

Vtrum elemosynae spirituales sint potiores corporalibus an econtrario.

Tho. 2. 2. q. 32. art. 3.

Secundo quaeritur quae elemosynae sunt potiores, corporales an spirituales. Et arguitur quod corporales, quia illa elemosyna videtur esse potior per quam dans plus sibi subtrahit, ut subueniat indigenti, sed per elemosynam corporalem plus subtrahitur danti quam per elemosynam spiritualem: quia dans elemosynam corporalem efficitur minus habens in temporalibus, dans autem elemosynam spiritualement non efficitur minus habens in spiritualibus, ergo elemosyna corporalis est potior elemosyna spirituali.

2 Item illa elemosyna videtur esse potior per quam subuenitur indigentiae magis necessariae, sed elemosyna corporalis est huiusmodi: quia indigentias corporales patitur homo velit nolit, indigentias autem spirituales nullus patitur nisi volens, ergo elemosyna corporalis videtur potior quam spiritualis.

3 IN contrarium arguitur sic, quia bona spiritualia sunt potiora corporalibus, sed elemosyna spiritualis fit de bonis spiritualibus, corporalis autem de corporalibus, ergo elemosyna corporalis est potior elemosyna spirituali.

4 **RESPONSIO.** Circa questionem istam tria sunt videnda. Primum est de numero & sufficientia elemosynarum corporalium. Secundum est de numero & sufficientia elemosynarum spiritualium. Tertium est de comparatione earum inter se.

5 **QUANTVM** ad primum sciendum est quod elemosynae corporales ponuntur communiter esse septem, quae in hoc versu continentur. Visito, potro, cibo, redimo, tego, colligo, codo. Visito infirmum, potro sitientem, cibo esurientem, redimo incarceratum, seu captiuum, tego, id est, vestio nudum, colligo, id est, recolligo hospitem, codo, id est, sepelio mortuum, quarum numerus & sufficientia potest haberi hoc modo: elemosyna corporalis ordinatur ad subueniendum indigentiae corporali, quae potest esse duplex



generalis quantum ad omnes, vel specialis quantum ad aliquos ratione alicuius accidentis. Generalis necessitas quantum ad omnes potest esse duplex, una ne mors incuratur alia postquam homo mortem iam incurrit; mortem autem potest aliquis incurere ab interiori propter defectum nutrimenti, & ad subueniendum huic defectui ordinatur duplex elemosyna corporales, scilicet cibare esurientem, & potare sitientem. Hæc enim duo concurrunt ad nutrimentum. Alio modo ab exteriori, & contra hunc defectum ordinatur similiter duplex elemosyna, scilicet tegere nudum, & re colligere in domo. His enim duobus, scilicet veste & domo indigemus contra intemperiem aeris: generalis autem necessitas omnium postquam mortem incurterunt est ut sepeliantur. Et ideo sepultura mortuorum inter corporales elemosynas computatur, & licet Christus de ea non fecerit mentionem quando de elemosynis seu operibus misericordiae prædicauit, dicens: esurienti & destituti mihi manducare, & c. tamen in aliis scripturis fit de ea mentio. Laudatur enim Thobias de sepultura mortuorum & Ioseph, ac Nicodemus qui Christi corpus mortuum sepelierunt, commendantur in euangelio. Specialis autem necessitas potest esse duplex vel intrinseca, ut infirmitas contra quam ordinatur visitatio infirmorum, vel extrinseca sicut detentio incarceratorum contra quam ordinatur redemptiones captiuorum.

¶ **QUANTUM** ad secundum sciendum est quod elemosynæ spirituales simpliciter sunt septem quæ in hoc versu continentur. Consue (id est doce ignorantem, & dirige dubitantem, & sic in vno vocabulo intelligitur duplex elemosyna spiritualis videlicet doctrina de credendis, & consilium de agendis) Castiga delinquentem, solare, id est, consoiare tristem, remitte, id est, indulge peccantibus in te, ser, id est, porta infirmitates & grauamina aliorum, ora pro omnibus. Numerus autem & sufficiencia prædictorum potest haberi hoc modo: per elemosynas enim spirituales subuenitur contra defectus spirituales qui sunt duo, culpa scilicet & poena. Item culpa vel est committenda vel est iam commissa, si sit committenda sic subuenitur homo dupliciter ne culpam committat, scilicet docendo eum de credendis, & consulendo in agendis. Si vero sit commissa sic subuenitur peccanti per castigationem ut doleat de præterito, & caueat de futuro. Si autem defectus ille sit poena siue illa poena est in peccante ut tristitia, quæ si superabundat ducit ad desperationem, & huic subuenitur per sanctam consolationem. si autem sit in alio contra quem commissa est culpa, sic subuenitur dupliciter, scilicet remittendo offensam, & patienter sustinendo sub spe correctionis grauem conuersationem peccantium, quia nullus debet tantum considerare de suo merito ut possit subuenire sufficienter defectibus aliorum, ideo recurrendum est ad Deum cui nihil est impossibile: propter quod vltima elemosyna spiritualis est oratio per quam oramus pro omnibus prædestinatis. Et sic sunt septem elemosynæ spirituales supradictæ.

¶ **Quantum** ad tertium videlicet quæ elemosyna sit potior & maioris meriti: dicendum est quod spiritualis, quod patet primo: quia omne meritum dependet ex charitate, sed charitas principaliter respicit animam proximi quam corpus, & bona spiritualia quam corporalia, quia immediatius ordinantur ad beatitudinem, ergo elemosyna spiritualis quæ respicit animam & bonum spirituale est potius bonum & magis meritum quam corporalis. Non est tamen magis satisfactoria, quia non magis poenalis sed minus, nec consuevit pro satisfactione iniungi excepta oratione.

¶ **AD** primum arg. dicendum quod illa elemosyna per quam homo plus sibi subtrahit est magis satisfactoria quia est magis poenalis, sed non oportet quod sit potior & magis meritoria, quia meritum dependet ex bonitate operis, & quod est melius est magis meritum: meliora autem sunt opera elemosynæ spiritualis quam corporalis, & ad meliorem finem immediatius ordinantur.

¶ **Ad** secundum dicendum quod necessitas indigentis facit quod elemosyna sit magis debita, sed non facit quod sit melior, quia bonitas elemosynæ pensatur ex bonitate operis & ex malitia defectus cui subuenitur homini: quia per elemosynam spiritualem subuenitur homini contra

peccatum quod est mors spiritualis, ideo ipsa est optima. Vnde Grego. in homilia dicit, quod melius est animam semper victuram verbo vitæ reficere, quam ventrem mortituræ carnis terreno pane satiare.

### QUESTIO OCTAUA.

**A** quibus personis debeat fieri elemosyna, & quibus personis sit danda, & de quibus rebus sit faciendæ.

*Tho. 2. 2. q. 32. ar. 6. & sequentibus.*

**T**ertio queritur a quibus personis debeat fieri elemosyna, & quibus personis sit danda, & de quibus rebus sit faciendæ. Et arguitur quod omnes possunt facere elemosynam, quia scriptum est Pro. 3. Noli prohibere beneficere eum qui potest, si vales & ipse bene fac, sed dare elemosynam est beneficere, ergo ad hoc nullus est prohibendus.

¶ **2** Similiter videtur quod omnibus hominibus sit elemosyna danda, quia scriptum est Luc. 6. Omni petenti tibi bene, sed qui omne dicit nihil excipit, ergo omni homini sine quacumque exceptione est danda elemosyna.

¶ **3** Item videtur quod elemosyna possit fieri de quibuscunq; rebus etiam illicitè acquisitis: quia Luc. 16. dicitur: Facite vobis amicos de mamona iniquitatis, hoc est de inuitè acquisitis: sed si de illis posset fieri elemosyna, multo magis de licitè acquisitis, ergo de omnibus.

¶ **4** **R**ESPONSI O. Circa questionem istam videnda sunt tria quæ tanguntur in titulo questionis. Primum est ad quem pertineat facere elemosynam. Secundum est de quibus rebus debeat fieri. Tertium est quibus personis sit faciendæ.

¶ **5** Quantum ad primum sciendum est quod cum sit duplex elemosyna corporalis, scilicet & spiritualis, spiritualis elemosyna tenetur in casu quilibet facere: quia cum vnicique mandauerit Deus de proximo suo (ut dicitur Eccl. 9.) quilibet ex charitate tenetur proximo subuenire in his quæ sunt ei necessaria maxime ad salutem, & nulli alii præiudicari, sed elemosynæ spirituales in casu indigentis sunt necessaria: (id est valde vtilis) & possunt fieri sine præiudicio cuiuscunq; sicut est doctrina ignorantium, consolatio mæstorum, fraternæ castigationis delinquentium, & sic de cæteris, ergo elemosynas spirituales potest quilibet facere, & etiam tenetur plus vel minus secundum casum maioris vel minoris indigentis.

¶ **6** De elemosynis autem corporalibus quæ fiunt per erogationem bonorum temporalium secus est, quia temporalia non possunt indifferenter per quilibet personam dari in elemosynam sine præiudicio illius qui est principalis dominus, quantum ad personas quæ habent proprium dominium vel sine præiudicio administratoris, quantum ad personas quæ habent ex officio generale administratorem in bonis communibus, sicut Abbas in monasterio. Cuius ratio est: quia per elemosynam res vnus transfertur in ius & dominium alterius, sed talem translationem non potest facere licite nisi dominus rei, ut habes liberam administrationem de voluntate domini, vel alterius qui potest prædictam dispensationem de administrationem admittere, & ideo cætera personæ non possunt licite elemosynam facere nisi in quantum credunt bona fide placere domino vel administratori: vnde vxor & filius familias, seruus & monachus, seu quicumq; religiosus nisi habeat administrationem aliquam non possunt licite facere elemosynam nisi modo supradicto, videlicet quantum credunt bona fide placere domino, vel administratori, vel alicuique scire & dissimulare. Monachus enim existens in scholis de expensis sibi traditis pro victu & vestitu potest si vult de eis facere elemosynam, quia tales expensæ sunt commissæ suæ administrationi. Quod autem dictum est de vxore, intelligendum est quando non habet alias res præter dotem, quia si haberet aliqua paraphernalia posset de eis facere elemosynam pro voluntate sua: omnia etiã intelliguntur extra casum necessitatis, quia in extrema necessitate si dominus vel administrator non sit præsens potest per alium subueniri de bonis eius quia sunt debita indigentibus, nec permittendum est personam indigentem perire propter absentiam domini, vel administratoris, qui si præsens esset teneretur ei subuenire.

7 Quantum ad secundum videlicet ex quibus debeat fieri elemosyna, non est dubium, nisi de illicitis acquisitionibus de quibus distinguendum est, quia aut ipsa acquisitio est illicita, ut in furto, rapina, & viura: aut acquisitio secundum se non est illicita, sed solum causa ex qua acquiritur ut in meretricio, quia meretricium est illicitum, supposito tamē meretricio acquisitio pecunie ex ipso non est secundum se illicita, quia illa acquisitio nulla lege prohibetur, & ideo talis acquisitio vocatur turpe lucrum. Loquedo de acquisitione illicita primo modo distinguendum est adhuc: quia aut per eam non transfertur dominium rei ut in furto & rapina, & tunc de tali re non potest fieri elemosyna, nec licite recipi extra casum extremæ necessitatis, quia sic acquiritens non efficitur dominus rei, nec dispensator legitimus, imò tenetur eandē rem numero quā sic accipit restituere, si res illa extet. Si verò trāseratur dominium sicut quidā dicit in viura, sic de tali re potest fieri elemosyna; quia talis est dominus & dispensator legitimus, supposito quod in viura dominium transferatur quāvis alteri cōpetat repetitio, quia nō oportet quod eadem res numero restituatur etiā si extet, sed sufficit reddere æquivalens: unde si viurarius habeat centum libras de viuris, & centū de patrimonio, vel de legitimo lucro, ita potest facere elemosynam de vno sicut de alio, & æque licitum est recipere si ipse sit dominus vtriusque, cum teneatur idem numero restituere. Hoc autē est intelligendum quando præter elemosynam de vno sicut de alio remanet viurario unde potest vivere & viuras restituere, quia si elemosyna esset ratio quod de residuo non posset viuras reddere non esset licitum ei elemosynā facere, nec alteri accipere, dato etiā quod de residuo posset viuras reddere, non tamen cū hoc decenter vivere non esset elemosyna: ab eo recipienda; quia non est presumendum quod ille qui iniuste alienam pecuniam accepit ut dicitur veliit recedendū vivere, restituendo alii illud quod ab eo iniuste accepit. S autem acquisitio non sit illicita secundum se, sed ex causa propter quam fit, sicut est in meretricio: sic dicendum est, quod de tali re potest fieri licite elemosyna, non tamen solennis ad altare propter detestationem criminis si sit publicum. Si autem sit occultum potest fieri de tali elemosyna solennis, vel priuata sicut de aliis quibuscunque.

8 Quantum ad tertium videlicet quibus personis sit elemosyna faciendā, dicendum est quod non debet fieri diuitibus, sed pauperibus. Cuius ratio est, quia elemosyna est scopus misericordie per quod subuenitur miserie alterius, illi non debet fieri elemosyna corporalis qui nō patitur miseriam corporalem, vel qui per seipsum potest sibi subuenire, sed diuites sunt huiusmodi, quia non patiuntur miseriam corporalem ex defectu bonorum temporalium ex quo diuites sunt, & si parentem possunt sibi per suas diuitias subuenire, ergo eis nō debet fieri elemosyna quæ est opus misericordie per quod subuenitur miserie alterius. Si quis tamen conuocet amicos diuites ad comedendum, vel dat eis vestes ad induendum, potest in casu esse opus virtuosum non secundum misericordiam, sed secundum virtutem liberalitatis. Inter pauperes autem quidā sunt boni, quidam verò mali. De pauperibus bonis non est dubium quin debeat eis fieri elemosyna, & magis propinquioribus si sint æqualiter boni & æqualiter indigant, quia secundum Apostolum. x. ad Tim. 5. cap. Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem non habet, & est infideli deterior. Malis autem pauperibus indigentibus faciendā est elemosyna ad sustentationem naturalem, & non ad fomentum culpæ: quia secundum Augustinum diligendi sunt homines, ut non diligantur eorum errores. Et ideo si malus pauper vult de elemosynis vivere, ut vacet ociositati quæ multa mala docet & docuit, vitium subtrahitur ei elemosyna quam donetur.

9 AD primum arguitur, dicendum est quod nullus prohibetur facere elemosynam qui possit eam facere, & quia illud solum possumus quod iuste possumus, ideo illi soli possunt facere elemosynam qui sunt domini rerum vel administratores legitime insituri, alii autem non.

10 Ad secundum dicendum quod omnī hominī indigentī faciendā est elemosyna ab eo qui potest, soli enim indigentes debent petunt elemosynam: alii autem. s. diuitibus dicendum est, petitis & non accipitis, eo quod male

petatis, quāuis diuitibus ex liberalitate liceat aliqua tribuere, sed tunc non est elemosyna.

11 Ad tertium dicendum quod illud verbum, facite vobis amicos de mamona iniquitatis, potest intelligi de illis rebus quorum acquisitio non est secundum se iniusta, sed solum causa, sicut est pecunia de meretricio habita de qua licitum est facere elemosynam, vel diuitiæ etiam licite acquisite dicuntur mamona iniquitatis, in quantum sunt occasio male faciendi, vel dicitur mamona iniquitatis, id est inæqualitatis, quia inæqualiter distributæ sunt hominibus, homo quandoque indigente & malo superabundante, de quibus licitum est facere elemosynam.

QUESTIO NONA.

Vtrum ieiunia per ecclesiam instituta sint sub præcepto.

Tho. 2. 2. q. 147. ar. 3. & 4.

DEinde queritur de ieiunio. Et primo vtrum ieiunia per ecclesiam instituta sint sub præcepto. Et arguitur quod non, quia illa quæ sunt merè supererogationis non possunt cadere sub præcepto, sed solum sub voto, sicut patet de continentia & de paupertate, sed ieiunium videtur esse merè supererogationis sicut & continentia, ergo non cadit sub præcepto.

2 Item si ieiunium esset sub præcepto, aut illud præceptum esset merè naturale, aut diuinum, aut humanum. Sed sub nullo dictorum præceptorum est ieiunium, ergo non est sub aliquo præcepto. Maior patet per sufficientē diuisionem. Minor probatur per inductionē, quod enim non cadat sub præcepto iuris naturalis patet, quia naturali iure nihil prohibetur nisi quod est malum secundum se. Comedere autem pluries in die nō est malum secundum se, alioquin peccaremus omni tempore quo pluries comedimus eodem die, quod est falsum, ergo iure naturali non prohibetur pluries in die comedere & per consequens nō præcipimur ieiunare. Item nec iure diuino quod continetur in vtroque testamento, quia ibi nihil inuenitur mandatum vel ordinatum de præceptis ieiuniorum quæ nunc obseruat ecclesia, utpote de quadragesima, & vigiliis Apostolorum, & aliarum festiuitatum: ius etiam humanum licet faciat mentionem de prædictis ieiuniis, nunquam tamen sub nomine præcepti, quare &c.

3 CONTRA, maioris perfectionis est lex noua quam vetus, ut enim dicitur Heb. 7. nihil ad perfectum adduxit lex, magis etiā desideris carnalibus abstrahit, quia est lex spiritus, sed in lege veteri ieiunium erat in præcepto, ergo multo fortius in lege noua. Assumpta probatur per illud quod habetur Leuit. 23. Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hoc, peribit de populo suo, vbi non videtur loqui nisi de afflictione ieiunii.

4 RESPONSIO. Circa quæstionem istam videntur esse tria. Primum est de vtilitatibus propter quas ieiunium fuit institutum. Secundum est an ieiunium per ecclesiam institutum sit sub præcepto. Tertium quæ sunt illa quæ in ieiunio sunt obseruanda.

5 Quantum ad primum sciendum est quod sicut ad seculares principes pertinet condere leges de his quæ pertinent ad vtilitatem communem in rebus temporalibus, sic ad Prælatos ecclesiasticos pertinet statuere ea quæ cadunt ad communem vtilitatem fidelium in spiritualibus, ieiunium autem est huiusmodi, valet enim ad tria. Primum ad concupiscentiam carnis reprimendam: ut enim allegat Hiero. sine Cerere & Baccho friget venus, id est per abstinentiam cibi & potus tepescit luxuria. Secundum valet ad hoc quod mens liberius eleuatur ad sublimia contemplananda: unde Dan. post ieiunium trium hebdomadarum reuelationem accepit a Deo, ut patet Dan. 10. Tertio ad satisfactionem pro peccatis. Et hoc tangit Greg. in præfatione, qui corporali ieiunio vitia comprimis, quantum ad primum: mentem eleuas, quantum ad secundum: virtutem largiris & præmia, quantum ad tertium.

6 Quantum ad secundum dicendum est quod ieiunium quadragesimæ, & alia ieiunia per ecclesiam instituta & generali consuetudine ecclesie approbata cadunt sub præcepto, ita quod qui ea non obseruat, sed absque necessitate

frangit, vel causa rationabili peccat mortaliter, quod patet tripliciter. Primo sic: instituta maiorum pro lege tenenda sunt, & sicut prævaricatores legum diuarum ita contemptores ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt, vt dicit beatus Augu. ad Casulanum presbyterum: & habetur in decretis dist. ii. cap. In his rebus. Sed prædicta ieiunia sunt ex institutione maiorum, scilicet Romanorum pontificum, sunt etiam approbata generali consuetudine ecclesie, ergo contemptores eorum merentur puniri, sicut prævaricatores legis diuinæ, sed præuaticatio legis diuinæ est peccatum mortale: vt patet per Ambro. qui diffiniens peccatum mortale dicit, quod est præuaticatio legis diuinæ, &c. ergo similiter contemnens ieiunare absque necessitate vel causa rationabili peccat mortaliter. Secundo, quia qui non obtemperat sacris canonibus in his que statuta sunt non exhortando solum, sed decernendo merentur carere officio suscepto: quia decretum necessitatem facit, exhortatio liberam voluntatem excitat: vt habetur dist. 7. Et si legibus, &c. Sed obseruantia quadragesimæ & cæterorum ieiuniorum de quibus nunc agitur instituta est per sacros canones non solum exhortando, sed decernendo: vt patet de conf. di. 5. ca. Quadragesima summa obseruatione seruanda est, vt ieiunium in ea, nisi quod infirmitas impedit nullatenus soluatur, & cap. sequenti dicitur sic: ieiunia in ecclesia a sacerdotibus instituta sine necessitate rationabili non soluantur, ergo qui huic statuto non obtemperant merentur carere officio suscepto, sed talis poenitentia non infligitur nisi pro peccato mortali, ergo &c.

Tertio sic: ea que simul statuuntur & eodem contextu cadunt sub simili obligatione. Sed ieiunia ab ecclesia instituta & abstinentia carnis simul & eodem contextu sunt statuta, ergo pari iure censentur. Cum ergo comedere carnes in quadragesima & in aliis ieiuniis ab ecclesia constitutis sit peccatum mortale nisi excuset infirmitas vel vigeat euadens necessitas, patet quod frangere ieiunium absque rationabili causa est consummiter peccatum mortale. Hoc etiam videtur dicere Hiero. ad Lucium, & habetur di. 68. ca. Vtinam. loquens de ieiuniis & dicens: Vnaqueque prouincia in sensu suo abundet, & præcepta maioris leges apostolicas arbitretur. Ecce quod dicit ieiunium cadere sub præcepto maioris, vbi est consuetudo roborans statutum.

**7 Q V A N T V M** ad tertium sciendum est quod circa ieiunium tria sunt obseruanda. Vnum est de prohibitione ciborum, quia in omni ieiunio ab ecclesia instituto omnino abstinendum est a carnibus que potissime nutriunt & præbent fomentum libidinis: in quadragesima autem non solum abstinendum est a carnibus, sed etiam ab ouis & caseis, sicut habetur de consec. dist. 7. cap. Denique in aliis autem ieiuniis non leguntur prohiberi oua & casei, & in talibus quod non est prohibitum videtur esse concessum. Secundum attendendum est hora, quia in quadragesima & ieiuniis quatuor temporum non debet ieiunans comedere vsque ad vespas, sicut habetur de consec. dist. 7. cap. Solet, & cap. In ieiuniis. Et istud potest intelligi dupliciter: vno modo de hora diei vespertina, & istud nusquam seruatur. Cum hora diei vespertina sit hora decima, vel vndecima. Omnes autem ieiunantes consueverunt comedere hora sexta: si autem intelligatur de vespas quantum ad diuinum officium, sicut verba statuti videntur sonare, videlicet quod distis vespas comedatur, sic melius seruatur a ieiunantibus in quadragesima antequam comedatur, non dicuntur tamen hora diei vespertina, sed hora sexta: & quia in talibus consuetudo quam omnes vel plures tenent & maxime quam ecclesia scit & tolerat & quod plus est facto suo approbat totaliter excusat, ideo comedentes in quadragesima & quibuscunque aliis ieiuniis circa horam sextam non peccant: quia tam Papa, quam Cardinales, Prælati & Religiosi sic obseruant. Tertium attendendum est circa ieiunium quod non licet pluries eodem die cibum sumere nec aliquid cuius principalis vsus ordinatur ad comestionem: potus autem non est prohibitus, nec ante prandium nec post, nec vsus specierum que principaliter ordinantur ad alterandum vel ad digerendum cibum. Si autem cum speciebus misceantur alie res pertinentes ad cibum & non alterantur per species quin remaneant in propria forma (vt datili confecti & in pinolato in quo pinula remanent in propria forma solum conglutinatae

per alias species) non credo quod licitum sit talibus vi extra prandium temporibus ieiuniorum.

**8** AD primum argu. dicendum est quod ea que sunt supererogationis absolutè non cadunt sub præcepto quantum ad omne tempus: sed possunt cadere sub præcepto pro aliquo speciali tempore & speciali causa: possent enim ecclesia præcipere coniugatis quod contineant in diebus ieiuniorum, vel aliquo certo die, sicut illicitum est eis vti matrimonio in loco sacro, quauis non possent præcipere quod semper continerent, & eodem modo ecclesia potest præcipere quod pro certis diebus teneatur ieiunare, licet forte non possent præcipere quod omni tempore ieiunemus. Vel aliter dicendum est quod duplex est genus erogationum, quod dicitur quod totaliter excedit necessitatem salutis, sicut continentia & paupertas, & tale non cadit sub præcepto sed sub consilio: aliud est quod in generali peritinet ad necessitatem salutis, quauis non secundum illum modum vel illum, sicut est ieiunium, quia in generali qui libet teneri tantum ieiunare, vel tantam abstinentiam carni adhibere vt per superfluitatem cibi non subtrahatur salus corporis, & fortiori ratione salus animæ: & quia non idem modus abstinentie conuenit omnibus, ideo per præceptum interpositum potest determinari modus ieiunandi quantum ad vices & cibaria secundum quod ecclesia iudicat communitati expediens.

**9** Ad secundum dicendum quod ieiunium in generali cadit sub præcepto iuris naturalis: & sic prohibetur malum secundum se, scilicet comestio superflua que est in subuersionem salutis corporalis & spiritualis. Modus autem spiritualis ieiunandi cadit sub præcepto iuris positivi. Et licet non inueniatur verbum præcepti, conuenit tamen esse præceptum ex aliis, puta ex poena que debetur transgressoribus statutorum ecclesiasticorum approbatorum per generalem ecclesie consuetudinem. Et ex aliis que simul cum ieiunio prohibentur, sicut est elus carniuium, & huiusmodi.

#### QVÆSTIO DEGIMA.

Vtrum omnes teneantur ad seruandum ieiunia ab ecclesia instituta.

*Tho. vbi sup. a.*

**S**ECUNDO queritur vtrum omnes teneantur ad seruandum ieiunia ab ecclesia instituta. Et arguitur quod sic, quia minus videtur quod iusti teneantur ad ieiunia quam peccatores: quia ieiunium est pars satisfactionis qua iusti non indigent, sed peccatores, sed iusti tenentur seruare ieiunia, vt probatur, ergo multo magis omnes alii. Probatio minoris: quia ad præcepta virtutum seruanda obligantur iusti, sed præceptum de ieiunio pertinet ad virtutem temperantiae, ergo ad ipsum seruandum obligantur iusti.

**2** Item pueri magis possunt excusari a ieiunio quam adulti qui sunt fortes, sed pueri videntur obligari ad seruandum ieiunium indictum per ecclesiam in noua lege, quia in veteri lege que fuit minus perfecta indicabatur eis ieiunium, vt patet Ioel. 2. vbi dicitur sic: Sanctificate ieiunium, congregate paruulos & fugentes vbera, ergo in noua lege obligantur ad seruandum ieiunium, ergo multo fortius & pauperes.

**3** Item arguitur quod laborantes non debeant a ieiuniis excusari: quia bonum spirituale debet præponi bono corporali, sed ieiunium est bonum spirituale, labor autem corporalis est bonum corporale, ergo ieiunium est præponendum labori corporali, nec est dimitendum propter laborem corporalem.

**4** **R E S P O N S I O.** Dicendum est quod ad ieiunium institutum per ecclesiam non tenentur pueri, infirmi, pauperes, laborantes obseruare, vt inferius declarabitur: quod autem pueri non teneantur, quia præceptum non obligat nisi secundum intentionem præcipientis, ecclesia autem ita tuendo ieiunium intendit incontinentia vitioum refecare & naturam conseruare. Cum igitur ieiunium pueris sit nocuum & notabiliter corruptiuum nature, patet quod non est intentio ecclesie eos obligare. Assumpta probatur: quia in pueris non solum exigitur cibum ad actum nutritiuum sed etiam ad augmentum. Et quia nondum virtus nature tantum in eis conualuit vt possint simul de cibo sumere

sumere quod sufficiat ad vtrumque, ideo indigent frequēti sumptione cibi, aliis notabiliter laederentur. Et propter hoc non competit eis ieiunium dum sunt in augmento. Tempus autem augmenti est vsq̄ ad tertium septennium inclusiuē vt in pluribus, & ideo ante hoc tempus non arantur ad omnia ieiunia ecclesie obseruanda, nisi illi in quibus virtus nature peruenit ad robur corporis, quia res naturales non eodem modo se habent in omnibus.

5 Ex eodem patet quod infirmi non tenentur ad talia ieiunia. Tum quia propter debilitatem virtutis quae infirmitate premitur. Tūc propter cibaria ieiunii quae plerumque essent periculosa infirmanti. Tum propter horam ieiunandi quae non posset ab infirmis obseruari cum non debeant comedere nisi paroxismo recedente, vel aliis horis de consilio medicorum prout congruit releuationi infirmitatis suae.

6 De pauperibus autem dicendum quod paupertas in eo casu eos excusat quando non possunt habere simul hora comestitionis quod sufficiat ad victum vnius diei, sicut frequenter contingit egenis qui frustratim elemosinas querunt, vel etiam quando ex precedenti inedia debilitati sunt, ita quod ieiunium sine magno incommodo ferre non possunt. De laborantibus autem distinguendum est, quia si sine labore sibi sufficere possent, non excusantur a ieiunio, si autem non possent, nisi laborando, si etiam ieiunando cum minori labore sibi possunt victum acquirere pro persona sua & familia sua, cuius curam gerunt, adhuc tenentur ieiunare: si autem aliis non possunt tantum laborare quod victum sufficientem acquirant nisi ieiunium frangendo, possunt secundum dispensationem sui sacerdotis ieiunium soluere & laborare. Ex quo patet quod intentio maioris lucri non necessarii eos a peccato non excusat si ieiunium frangat: nec iterum illi a peccato excusantur, qui nolunt operarios conducere, nisi tali pacto vt ieiunium soluant. Et quia peregrinatio inter labores computatur, sed non inter necessarios ad victum, ideo videtur dicendum quod propter peregrinationem assumptam voluntarie, nullo modo frangendum est ieiunium: quando autem imponitur a confessoro captandū est tempus, vt expleatur absque fractione ieiunii. Et si ieiunium infra tempus peregrinationis occurrat, temperandus est labor vitae, vt ieiunium obseruetur: quia non videtur sufficiens ratio transgrediendi generale praeceptū ecclesiae per id quod voluntarie assumitur, vel quod a simplici sacerdote imponitur.

7 AD primum argumentum dicendum est quod tam iusti quam peccatores tenentur ad ieiunia per ecclesiam instituta, nisi excuset eos aliqua de causis in corpore solutionis assignatis.

8 Ad secundum dicendum quod illud quod allegatur de pueris Iosēis. 2. cap. fuit specialis casus ad placandum Deum Ninivitis vehementer iratum, nec debet trahi ad communem legem.

9 Ad tertium dicendum quod pauperes qui possunt habere hora comestitionis illud quod sufficit ad victum vnius diei, non excusantur a ieiunio: pauperes tamen qui nihil habent nisi quod frustratim quarunt videtur a ieiunio excusari, ideo &c.

QVÆSTIO VNDECIMA.

Utrum comedens tempore ieiunii plusquam semel qualibet vice peccet mortaliter.

Tho. 2. 2. q. 147. art. 6.

Teritio queritur de ieiunio, vtrum comedens tempore ieiunii plusquam semel qualibet vice peccet mortaliter. Et videtur quod non, quia sicut obligat praeceptum sic & votum, sed illa quae vouit virginitatem, & postea contrahit, in primo actu peccat, sed in aliis non, ergo similiter in proposito qui tenetur ad ieiunium, in primo actu quo frangit ieiunium peccat, sed non in aliis.

2 Item quod semel fractū est, non potest amplius frangi. Sed ieiunium in secunda comestione frangitur, ergo ultra non potest frangi in tertia vel quarta.

3 Item poena debet proportionari culpe, sed comedenti pluries in die non iniungitur maior poenitentia, quam si solum bis comedisset, ergo &c.

4 IN contrarium arguitur, quia ex forma praecepti

ecclesiae tempore ieiunii licet tantum semel comedere, ideo vnica comestitione repngnat ad eam tertia & quarta sicut secunda, sed comedens secundum peccat mortaliter, ergo &c.

5 RESPONSIO. Circa quaestionem istam est duplex modus dicendi. Primus est, quod comedens tempore ieiunii plusquam semel, qualibet vice peccat mortaliter, quia praeceptū negatiuum obligat semper, & ad semper. Sed praeceptum de ieiunio est negatiuum, nulli enim precipitur quod comedat semel quantum ad id quod affirmatiuum est, quia sic qui non comederet de tota die esset transgressor praecepti, quod non est verum: cadit ergo sub praecepto illud solum quod est negatiuum, scilicet quod nullus comedat ultra semel, ergo ad hoc obligatur homo per totum tempus, quare quacumque vice comedat praeter semel, semper est transgressor praecepti, sed omni hora transgrediens praeceptum peccat mortaliter, ergo qui tenetur ad ieiunium quotienscumque ultra semel in die ieiunii comederit peccat mortaliter.

6 Item praeceptum obligat ad intentionem precipientis, sed intentio ecclesiae precipientis ieiunare, est vt subiciatur caro spiritui. Sed huic intentioni magis obuiat tertia & quarta comestio per quas superabundanter fouetur caro, quam secunda, & tamen in secunda peccat mortaliter, ergo multo magis in qualibet alia.

7 Item sicut obligat votum proprium, sic obligat praeceptum alienum, sed ille qui vouit continere, & postea contrahit peccat in quolibet actu quo petit debitum, ergo ille qui tenetur ex praecepto ieiunare peccat in qualibet comestione qua comedit ultra semel.

8 Item celebrans in die plusquam semel, totiens peccat mortaliter quotiens celebrat, nisi iusta causa eum excuset: ergo comedens in die plusquam semel totiens peccat mortaliter quotiens comedit, nisi iusta causa eum excuset, puta infirmitas, vel alia necessitas. Antecedens patet: consequentia probatur, quia sicut ecclesia prohibet celebrare in die ieiunii plusquam semel, ita in die ieiunii prohibet comedere ultra semel.

9 Istud autem est si sit probabiliter dictum, videtur tamen multum durum: & ideo potest aliter dici & mitius, quod talis non peccat mortaliter in qualibet comestione. Multum enim refert praeceptum negatiuum iuris naturalis & iuris positivi. Iure enim naturali prohibetur actus qui de se est malus, vt peccari: & ideo omnis talis actus equa liter cadit sub prohibitione, & peccat mortaliter secunda vice sicut & prima, & sic de aliis omnibus. Iure autem positivo prohibetur actus qui non est malus secundum se, sed bene potest fieri: imò in casu est necessarium fieri, vt comedere, vel de se videtur esse valde bonum, vt dicere diuinum officium alta voce. Et ideo prohibitio ecclesiae vel iuris positivi potest cadere super vnum actum, & non super alium ex causa: sicut tempore interdicti prohibetur diuina celebrari alta voce, sub hac tamen prohibitione non cadit dies natiuitatis domini, Pascha, Pentecostes, assumptionis: vt habetur in. s. de feren. excommunic. Alma mater. Et eodem modo potest cadere sub praecepto ecclesiae vna comestio, & non alia, & in hoc nullum est dubium, sed vtrum cadat sub prohibitione ecclesiae secunda & non tertia vel quarta, posset videri quod sic, quia statutum de ieiunio videtur ponere certum litem in comedendo, quem non licet transgredi. Et ille limes est semel comedere, ultra enim non licet: igitur sicut esset de praecepto, quo praecipitur cuiuslibet non transgredi certum litem, puta pontem, nisi per vnum passum: sic videtur esse de praecepto ieiunii, per quem ponitur certus limes comedendi, puta semel, ultra quem non licet comedere: sed per praeceptum quod nullus transiret pontem nisi per vnum passum, ille qui transiret per vnum passum, & adhuc ultra, puta per duos passus esset transgressor praecepti: sed si ille idem ultra procederet per tres passus quatuor vel mille passus, non videretur committere nouam transgressionem, quanuis videretur maior transgressio propter maiorem contemptum praecepti seu prohibitionis: ergo similiter in proposito ille qui transgreditur litem ab ecclesia positam (scilicet semel comedere in die) peccat, sed transgredi istum litem scilicet vnica comestitionem per vnum passum, vel per multos, hoc est, per vnica vel multas comestiones ultra semel non multi-

multiplicat peccatum, quāvis intendere possit peccatum propter maiorem contemptum. Et confitetur, quia statuta penalia, & maxime quae respiciunt communitatem, non sunt amplianda, ut sint in lacum damnationis, sed potius restringenda: & maxime quādo sunt de iis quae aliis sine peccato fieri possunt, sed tale est statutum de ieiunio, ergo &c. Esset autem in magnum laqueum damnationis si in quolibet actu peccaret mortaliter, ergo &c. Item nullus obligatur ad impossibile, sed ille qui iam bis comedit non potest iam amplius ieiunare, ergo non tenetur pro illo die ad seruandum praecipitum de ieiunio, sed per nullum aliud praecipitum obligatur ad amplius non comedendum illo die, ergo si comedat non peccat. Item per praecipitum de ieiunio conceditur vna comestio, & pluralitas comestionum prohibetur, sed omnis pluralitas opponitur vnitari eodem genere oppositionis, vel secundum eandem rationem, ergo omnis pluralitas comestionum vna prohibitione prohibetur, & vna transgressione perfitur, & non pluribus. Vnde si in die ieiunii aliquis proponat de mane quod non ieiunabit illo die, & in illo proposito perseuerat, peccat vnico peccato, licet illo die ter vel quater comedat, quia per praecipitum de ieiunio prohibetur pluralitas comestionum, qualiter est transgressio limitis statuti, qui enim est citra limitem & in limite potest ipsum transgredi, non autem qui est vltra, quāuis possit procedere plus vel minus in transgressione: & per hunc modum qui nondum comedit vel semel comedit potest transgredi limitem comedendo pluries, sed qui pluries comedit iam transgressus est, & potest procedere in transgressione plus vel minus, sed nouam transgressione non potest facere nisi redeundo citra limitem, quod non potest esse in eodem die.

10 Ad primam rationem alterius opinionis patet solutio ex praedictis.

11 Ad secundum dicendum quod intentio praecipientis est duplex, scilicet de materia praecipiti, & de fine. Et hoc etiam videmus in praecipiti diuinis: praecipit enim Deus honorare parentes, & huiusmodi, & quia praecipiens intendit haec ut fiant cum sint materia praecipiti: intendit etiam ut per haec facientes mereantur vitam aeternam. Et haec est intentio de fine, ut dicitur Mat. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata Dei: & ad hanc intentionem implendam quilibet non tenetur nisi ex suppositione si velit finem consequi: alioquin qui honoraret parentes, & non haberet gratiam, quae est principium merendi vitam aeternam, esset praecipiti transgressor, quod non est verum. Similiter in proposito intentione ecclesiae statutis ieiunium est quod comedatur semel & determinata cibaria: & ideo ad hanc intentionem implendam quilibet tenetur, cum ista cadat sub materia praecipiti: quod autem per hoc caro maceret, finis proximus est intentioni ecclesiae: & hoc non cadit sub praecipito, potest enim contingere quod aliquis ita delicatè vescatur vna vice, quod magis nutriatur corpus eius, quā alterius pluries comedendo minus delicatè, & tamē vnus est transgressor praecipiti, & non alius.

12 Ad tertium dicendum quod ille qui simplici voto vouit continentiam, praeculsiat a se omnem actum carnalem. Et ideo si contrahat in primo actu matrimonii peccat, quia poterat seruare continentiam quam vouit intrando religionem: in omnibus etiam actibus sequentibus peccat si petat debitum, quia hoc est voluntatis, sed non peccat reddendo debitum, quia illud est necessitatis, sed per praecipitum ieiunii non praeculsiat omnem comestio, sed ponitur certus limes quem non licet transgredi. Et quia hic limes ponitur iis qui sunt circa limitem, vel in limite, ideo qui iam transgressi sunt peccauerunt, sed vltra procedendo non peccant nouo peccato, quia non attingit eos prohibitio.

13 Ad quartum dicendum est quod celebrare plures missas in die praeter diem natiuitatis domini est prohibitum propter figuram, quia sacramentum eucharistiae quod conficitur in missa est rememorationium passionis domini, sicut ipse dicit. Hoc facite in meam commemorationem. Et quia passio Christi vno die completa fuit tantum semel, ideo ad hoc representandum statutum fuit tantum semel in die celebrare. Item propter fragilitatem humanam, quia huic sacramento debetur summa veneratio cum summa puritate & deuotione, & quia vix homo possit se plu-

ries in die ad debitam venerationem & deuotionem parare, praefertim cum talia minuantur per frequentationem, ideo concessum fuit tantum semel in die missam celebrare, nisi casus necessitatis aliud suadeat: vtriusque autem rationi praedicti statuti obuiat tertia & quarta celebratio, scilicet secunda, sed de praecipito ieiunii secus est, quia non prohibetur nisi transgressio limitis statuti in comedendo modo quo superius declaratum est.

14 AD argumentum quod fiebat principaliter ad questionem dicendum est quod vnica comestioni non repugnat secunda, tertia, & quarta, quatenus quilibet est comestio, imò sunt in hoc similes, sed repugnat quatenus sunt plures, & sic cadunt sub prohibitione: & quia plura in quocunq; numero opponuntur vni vna oppositione, ideo prohibetur vna prohibitione, & in omnibus comittitur vna transgressio.

#### QUESTIO DVODECIMA.

Vtrum oratio sit in praecipito.

Tho. 2. 2. q. 83.

Deinde quaeritur vtrum oratio sit in praecipito. Et videtur quod non, quia oratio non valet sine attentione, dicitur Gregorio, quod Deus illam orationem non exaudit, ad quam orans non attendit. Sed attentio non potest cadere sub praecipito, quum impossibile sit mentem orantis non euagari, ergo nec oratio.

1 Item quicquid Deus dat, liberaliter dat, sed quod datur precibus non liberaliter datur. Dicit enim Sēpeta: Nulla res grauius confiat, quā quae precibus empta est, ergo Deus non est orandus, ut aliquid det.

2 IN contrarium est quod dicitur Lucae 18. Oportet semper orare, & non deficere. vbi dicit Chryl. dum dicit oportet, necessitatem dicit, sed nulla necessitas est nisi ex aliquo praecipito, ergo &c.

4 RESPONSIÓ. Videnda sunt duo quae ranguntur in argumentis. Primum est de oratione an cadat sub praecipito. Secundum est, vtrum ad eam requiratur attentio.

5 Quantum ad primum sciendum est quod duplex est oratio, quaedam priuata, alia solennis & publica, & vtraque cadit sub praecipito, sed differenter: quia oratio priuata cadit sub praecipito in generali absque determinatione loci & temporis, & modi orandi. Solennis verò & publica cadit sub praecipito & in speciali. Primum patet, quia ea quae sunt de necessitate salutis cadunt sub praecipito. Sed oratio est de necessitate salutis, ergo &c. Minor patet, quia salus non acquiritur sine spiritualibus bonis quae non dantur nisi a Deo, sed illa non impetrantur nisi per orationem, per quam a Deo petuntur, sicut dicit Augu. de ecclesiasticis dogmatibus: Nullum credimus ad salutem venire, nisi Deo inuitante, nullum inuitatum nisi Deo auxiliante salutem suam operari, nullum nisi orate auxilium promereri, ergo oratio est de necessitate salutis: oratio dico in generali accepta, scilicet ut quandoque oretur Deus, & petantur necessaria ad salutem ab eo, quando autem oretur vel quomodo mentaliter solum vel vocaliter non est determinatum ali quo praecipito, sed reliquitur arbitrio cuiuslibet eligere sibi tempus, & modum magis sibi deuotum. Oratio autem solennis & publica est illa quae incumbit ministris ecclesiae ex officio, qualiter sunt medii inter Deum & populum. Et ad hanc tenentur ex praecipito ecclesiae secundum formam sibi additam, vnde tenentur ad horas canonicas dicendas: & haec oratio debet esse vocalis, quia cum non fiat ab orante pro se solo, sed pro aliis, ideo non debet solum esse mentalis, sed vocalis, ut per orationem voce expressam alii ad deuotionem excitentur, & ut populus intentionem suam confirmet ministris orantibus, & hoc non solum est in praecipito quo ad ministros, sed etiam quo ad populum. Vnde secundum statuta canonum populares tenentur diebus dominicis & festiuis diuinis officiis interesse, sicut habetur de consecratione distin. 1. ca. Missas. Et sic patet ratio.

6 Quantum ad secundum, scilicet an requiratur attentio: dicendum quod ad orationem & ad quodlibet aliud opus potest requiri attentio dupliciter. Vno modo ut oratio ab attentione procedat. Alio modo ut attentio contra nuē concomitetur orationem. Primo modo requiritur attentio

attentio ad orationem tam priuatam quam publicam, non solum propter meritum, sed etiam ad vitandū peccatum in casu in quo oratio dicitur ex precepto. Quod patet sic: quia nullum opus est meritorium, nisi ex intentione procedat, aliā non est opus humanū, cum homo sit homo per rationem & voluntatē. Si ergo oratio debet esse meritoria, oportet quod procedat ex intentione, similiter si vitatur transgressio precepti idem debet fieri, quia cum preceptum non detur nisi hominibus, oportet quod non solum impleatur ex imaginatione quæ communis est nobis & brutis, sed ex deliberatione quæ requirit attentionem, nõ requiritur tamen quod attentio actualiter cõcomitetur totam orationem, quia nec hoc requiritur in quibuscumque operibus bonis, nec est possibile propter facilem euagationem humanæ mentis, requiritur tamen quod orans scienter non distrahat mentem ab attentione, nõ enim nõ potest esse sine culpa veniali vel mortali. Si enim euagatio fit solum secundum actum interiore, licet sit temeraria & grauis ex quo est a proposito: fortē tamen non est peccatum mortale, nisi esset contemptus, quia ecclesia non habet iudicare de actibus merē interioribus: & ideo non potest eam ponere sub precepto. Propter quod minister ecclesiæ si dicendo horas scienter cogitat aliud, non videtur transgressor precepti ecclesiæ, quantum est ex natura facti: si autem euagatio mentis fit ex hoc quod quis scienter occupat se in actu exteriori, qui non comparatur secum attentionem orationis, sic videtur esse culpa mortalis, & directē contra preceptum ecclesiæ, quod habetur extra de celebratione missarum, capitulo dolentes referimus, ubi dicitur sic, districtē precipiētes in virtute obediētia, vel diuinum officiū diurnum pariter & nocturnum, quantum eis Deus dederit studiose pariter celebrent & deuotē. Hoc autem non obseruant qui occupando se in actu exteriori, scienter sibi attentionem subtrahunt.

7 Per hoc patet responsio ad primum argumentum, quia attentio orationis cadit sub precepto quo ad hoc, vt oratio ab intentione procedat, & vt orans sibi scienter in attentionem non subtrahat, occupando se in actu exteriori incompossibili, non autem cadit sub precepto, quod actualis attentio totam orationem concomitetur.

8 Ad secundum dicendum quod ex hoc quod Deus dat oranti, non minus liberaliter dat, quia nõ datur vt oratio nis pretium, sed vult Deus orari a nobis, vt det nobis fiduciam recurredi ad ipsum in necessitatibus nostris.

Sententia huius distinctionis. XVI.  
in generali & speciali.

**I**n perfectione autem penitentia. Superius determinauit Magister de penitentia generaliter, hic determinat de penitentia partibus. Et diuiditur in duas, primò distinguit penitentia partes. Secundò mouet quasdam quaestiones circa comparationē ipsarum partium penitentia ad inuicem. Secunda ibi, dist. 17. Hic oritur quaestio triplex, prima est principalis lectio. Et diuiditur in duas partes. Primò determinat de partibus eius integralibus. Secundò de partibus eius quasi subiectiuis. Secunda ibi, prædictis verò adiciendum. Prima in tres. Primò enumerat. Secundò enumeratas declarat. Tertio penitendi modum insinuat. Secunda ibi, Compunctio nobis commēdatur. Tertia ibi, Et ideo discretio penitendi. Et hæc tertia diuiditur in duas. Primò insinuat nomen penitentia. Secundò falsā. Secunda ibi, Et sicut sunt digni fructus penitentia. Prima istarum in tres. Primò ostendit modum penitendi quantum ad contritionem cordis, Secundò quantum ad confessionem oris. Tertio quantum ad satisfactionem operis. Secunda ibi, Caueat ne ductus verecundia. Tertia ibi, Caueat autem ne prius dominici corpus. Secunda autem pars principalis in qua determinat de partibus quasi subiectiuis diuiditur in duas. Primò distinguit istas partes. Secundò prosequitur alteram illarum, scilicet de penitentia venialium quæ habet specialem dubitationem. Secunda ibi, Quæ autem prouenientibus.

2 In speciali procedit sic. Et primò proponit quod ad veram penitentiam requiritur cõpunctio cordis, confessio oris, & satisfactio operis, sicut Deum offendimus corde, ore & opere. Et addit quod tres sunt mortes peccati,

cordis, scilicet oris & operis, & malæ consuetudinis, quæ signantur per tres mortuos à Christo suscitatos, vnum suscitauit in domo, per quam figuratur peccatum cordis, alium extra portam per quā figuratur peccatum oris vel operis, Tertium iam quatuordecim fortentem, per quam figuratur peccatum cõsuetudinis. Postea has tres enumeratas declarat sic in litera. Et primò quantum ad contritionem cordis vt considerantur peccati circumstantia & damna quæ per peccatum incurrunt, sicut patet ex dictis Aug. & plenius habetur in litera. Postea quantum ad confessionem oris dicit quod confessio non debet diuidi. Et de hoc plus dicitur in dist. sequenti. Deinde dat modum verè penitendi quantum ad satisfactionem: quia verè penitens qui vult facere fructus dignos penitentia debet se refringere à ludis, & spectaculis seculi quæ impediunt quandoque veram penitentiam, & debet satisfacere secundum qualitatē & quantitatem culpæ. Et postea ostēdit quæ sit falsā penitentia. Et dicit quod existens in statu, vel officio vel negotio quæ non possunt exerceri sine peccato nõ potest verè penitere nisi predicta dimittat. Postea distinguit triplicem penitentiam illam, scilicet quæ agitur ante baptismum, quia adultus cum baptizatur nõ potest nouam vitam inchoare nisi penituerit eum veteris vitæ. Alia est penitentia post baptismum. Et hæc est duplex vna est quæ agitur pro peccatis mortalibus, alia est quæ agitur pro peccatis venialibus, quæ non sunt omnino negligenda, quia & si leuia videantur, multiplicata tamen grauant & opprimunt, sicut aqua paulatim intras submergit nauem. Vltimò dicit quod pro venialibus delendis sufficit oratio dominicalis cum aliquali contritione: pro mortalibus autem non sufficit, sed requiritur amplior contritio & amplior satisfactio. Et in hoc terminatur sententia, &c.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum contritio, confessio, & satisfactio  
sint partes penitentia.

*Tho. 3. q. 90. ar. 2. q. 3.*

**C**irca distinctionem istam quaeritur de quatuor. Primum est de partibus penitentia. Secundum est de remissione venialium. Tertium est de circumstantiis peccati. Quartum est de impedimentis veræ penitentia. Primò ergo quaeritur vtrum contritio, cõfessio, & satisfactio sint partes penitentia. Et arguitur quod nõ, quia omne sacramentum dispensatur à ministris secundum quamlibet sui partem. Sed contritio nõ confertur penitenti à ministris ecclesiæ, ergo ipsa non est pars sacramenti penitentia.

2 Item quia si ista essent partes sacramenti penitentia, aut essent partes subiectiua, aut integrales: nõ subiectiua, quia totum perfectè saluatur in qualibet parte subiectiua sed sacramentum penitentia non saluatur perfectè in aliqua illarum trium partium, quia sacramentum penitentia non saluatur in sola contritione & sic de ceteris, ergo nec sunt partes subiectiua, nec integrales, quia totum integrale requirit actualiter quamlibet sui partem, sed sacramentum penitentia dum exhibetur nõ requirit actualiter satisfactionem, ergo satisfactio non est de eius integritate.

3 IN contrarium arguitur, quia per penitentiam exhibetur pena pro satisfactione culpæ, sed culpæ in Deum commissæ debetur pena interior & exterior (vt patet in illis qui sunt in inferno) & ad integritatem penitentia pertinet pena interioris contritionis & exterioris satisfactionis, non est autem dubium quin confessio pertineat ad sacramentum penitentia, ergo illa tria sunt de integritate penitentia.

4 **R**ESPONSIO. Penitentia vt patet ex præcedentibus dupliciter accipitur, scilicet pro virtute & pro sacramento, si loquamur de penitentia prout est virtus sic dicendum est, quod contritio, confessio, & satisfactio non sunt partes eius, sed contritio est actus ab ea elicitus, confessio autem & satisfactio sunt actus imperati. Quod nõ sunt partes eius patet, quia nullum simplex habet partes, sed penitentia prout est virtus, est quidam simplex habitus, ergo non habet partes. Quod autem contritio sit actus

ab ea